

20.

21

DISPUTATIO JURIDICA

JNAUGURALIS

1661, 3

De

NAVI & NAVI-
GATIONE,

10

Quam

DIVINA ANNUENTE GRATIA

Decreto, Authoritate & Permissu

Magnifici Amplissimiq; Jctorum Ordinis, in Perantiqua
& Celeberrima Heidelbergensi Academia

his
p

MODERANTE

VIRO Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo &
Consultissimo

DN. JOH. FRIDERICO BÖCKELMANNO

Jcto, & Antecessore Ordinario, p. t. Universitatis

Rectore Magnifico, Fautore & Patrono

nunquam non venerando

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS

AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

rite consequendis

Solenni & publico Literatorum subjicit examini

JOHANNES R X X H M & X Hamburgensis.

Ad diem V. Septembris horis locoq; solitis.

HEIDELBERGAE,

Typis ADRIANI WYNGAERDEN, Academiae

Typographi Anno MDCLXI.





V I R I S

Spectatissimis ac Prudentissimis

DN. HENRICO Boeck.

DN. JACOBO Holtzhausen.

DN. CLEMENTI Peters.

Civibus & Mercatoribus in Rep. Patriâ longè
Clarissimis

Dominis Fautoribus, Affinibus & Fratri multis no-
minibus colendis, diligendis

*Presentem hanc Disputationem In-
auguralem dedicat et optimo jure
adscribit*

AUTOR.

* * (I) * *



S A N C T A
O P I T U L A N T E T R I A D E !

DISPUT. INAUGURAL.

De

NAVI & NAVIGATIONE.

Prælogium.

SI in foro causas dicentibus *Prælogium.*
juxta Jctum in *l. 1. pr. ff. de O. I.* nefas videtur
nullâ præfatione factâ Judici rem exponere:
Quantò magis nobis Celeberrimæ istius de *Navi & Na-*
avigatione materiæ interpretationem, quantum per inge-
nii vires licebit, promittentibus inconueniens erit omisâ
de necessitate & utilitate præsentis thematis præfatione,
atque illotis, ut inquit *d. l. Jctus* manibus, protinus illius
explicationem tractare: præsertim quod istæ præfationes
& libentius nos ad lectionem propositæ materiæ produ-
cant, & cum ibi venerimus, evidentiores præstent intel-
lectum. Parendum igitur monito Jcti: Et sanè Navi-
gationem maximè necessariam esse, nemo profectò est
qui nesciat, quare meritò *Jctus* in *l. 1. pr. ff. de Exerc.*
act. eam navigandi necessitatem appellat; Utilitas vel
inde apparet, quod navium exercitationem ad Summam
A Remp.

Remp. pertinere ipse fateatur Ulp. in *d. l. 1. §. 20.* tum etiam quod mediante hac personæ & res de loco in locum transferri, & multi contractus quandoque inter absentes initi (ex quibus unus est emptio & venditio *l. 1. §. fin. ff. de contrah. empt.*) effectum suum sortiri possint: Hinc fit ut Negotiatio in terrestrem & maritimam vulgò dispescatur; Imò mercaturam in ipsâ Navigatione valde versari testis est Vates ille Lyricus, dum canit:

Impiger extremos currit mercator ad Indos

Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Ut jam taceamus alia ad quæ navigatio necessaria pariterque utilis est, de quibus infrà, ubi de causâ Navigationis agemus, prolixior nobis erit dicendi locus. Periculosa insuper quàm sit Navigatio, nôrunt qui navigârunt, unde (ut refert *Benev. Strach. tract. de Navigat. n. 1.*) Anacarsis Scytes navigantes tantum abesse à morte dicere cõsueverat, quantum digitorum navis esset crassitudo: A quo non videtur dissentire Satyricus, dum ait:

Digitis à morte remotis

Quatuor aut septem, si sit latissimataeda.

Et navigationem periculum propinquæ mortis esse satis constat ex *l. 3. ff. de mort. caus. donat.* imò sæpe periculosam & semper incertam appellat *Imp. in l. 6. C. de off. Rect. Provin.* periculumque ex navigatione maris timendum patet ex *l. 2. C. de naut. fœn.* Si igitur, ut est, æquitati consentaneum, ut eò meliori gaudeat miles præmio, quò majora in acie subiverit pericula & sustinuerit incommoda; sanè cum navigantibus summum illud naufragii periculum ferè semper immineat, meritò Prudentissimi Viri, Legumque Latores eorum vitam miserati, quoad ejus fieri potuit, naufragiis consulere studuerunt ut in *t. t. ff. de in-*

(3)

de incend. ruin. naufr. in Auth. Navigia C. de furt. t. t. ff. ad L. Rhod. de Iact. c. 3. X. de Rapt. c. ult. distinct. 2. & passim tam in Civili quàm Canonico jure. Sed hæc prælogii locò dixisse sufficiat, jam ad rem. Sit ergo hæc

CLASSIS I.

Classis I,

Continens

Navis & Navigationis Etymologiam, Homonymiam, Synonymiam, Definitionem & Divisionem.

THESIS I.

CUM de Navi & Navigatione tractaturum priùs nôsse *Etymologia* oporteat, unde nomina illa descendant juxta præceptum *Ulp. in l. 1. pr. ff. de l. & l. præsciendum* circa ipsam derivationem variare Autores: Quidam enim volunt *Navim* à verbo *no*, quod est nato, deduci; Quidam & frequentiores Origine græcum vocabulum esse *Ναυς ναός*, vel *ναός*, quod est navis, *ἡ δὲ τῶν ναῶν* sive *ναύω* quod est fluo, illudque postea apud Latinos Græcâ Consuetudine invaluisse tradunt: Utramque derivationem in medio relinquit *Benev. Strach. tr. de spons. p. m. 224. n. 3.* Posteriores verò amplectitur *Ioh. Scheff. de milit. naval. l. 1. c. 1. Navigationem Substant.* esse descendens à verbo *navigare*, satis superque ex Grammaticis & Criticis constat.

II.

Ex jam dictâ Navis derivatione, quæ propriam vocabuli significationem explicare solet, *arg. l. 239. §. pen. ff. de V. S. & l. 2. §. 2. ff. de Reb. Cred.* evidenter demonstrari potest, verbum *Navis* generale esse, omniaque navigiorum

A 2

rum



rum genera continere. *Ben. Strach. Tr. de spons. p. m. 224. n. 2. & Tr. de Navib. P. 1. n. 2.* idque non solum auctoritate sed & ipsis juris textibus probari posse, satis constat ex *Rubri. C. de Nav. non excus. l. fin. ff. de instrum. vel instr. legat.* ubi scapha mediocritate non genere à navi differre dicitur, h. e. quod scapha tanquam species contineatur sub vocabulo generico navis, differat verò ab eà tantum secundum majus & minus, unde ipsam per se parvam naviculam esse expressè innuitur in *l. 44. ff. de Evict.* Et ad rem facit *l. 29. §. 2. cum seqq. ff. ad L. Aquil. junctà l. 1. §. 6. & §. 12. vers. quaedam enim naves. ff. de exerc. act.* quanquam hanc latiore navis significationem ad actionem exercitoriam restringere videatur. *Hahn. ad Wes. t. de exerc. act. n. 3. in fin.* Neque huic nostræ sententiæ obstat, quod quidam ex Autoribus Græcis inter naves & navigia differentiam Auctoritate Aristotelis cōstituerint, ut navigia quidem rotunda, illæ autem remigabiles sint: Hoc enim in Jure nostro receptum non est, quod non solum ex modo *alleg. textt.* sed & clariùs ex *l. 1. §. 14. ff. de flum. item, l. 2. pr. ff. de Capt. & postlim.* elucescit: Eodem modo navigium generale verbum est, quod & pro navigatione aliquando accipitur, ut *l. 122. §. 1. ff. de V. O. l. pen. C. de Naut. fœn. & in l. 1. §. 14. ff. de flum.*

III.

Navigationis tanquam abstracti homonymia ex verbo navigare tanquam ejus concreto æstimanda est: Sicut enim navigare dicuntur nautæ & vectores & ipsa navis in *l. 1. §. 6. ff. de exerc. act. l. un. §. 1. ff. furt. advers. naut. l. 12. §. 1. ff. de usufr.* item merces in *l. 1. ff. de Naut. fœn. & navigare caus. 17. q. 2. c. 2.* is dicitur, qui uxorem ducit,
pro-

propterea quod æquè ac navigans se variis periculis sub-
jiciat, nec proprio motu regatur, *Strach. de Navig. n. 4.*
Ita etiam vocabulum Navigationis his omnibus tribui
posse non dubitamus. Habet, & Navigatio in eo non-
nihil homonymiæ, quod aliquando pro arte naviculariâ,
aliquando pro ipso navigandi actu accipitur, uti infra
docebimus. Usurpatur etiam aliquando proverbialiter,
quãdo dicitur, *jucundissima navigatio juxta terram, am-
bulatio juxta mare*, quod Germani paulò efferunt diver-
sius: Neben dem Schiff ist gut schwimmen / und neben Wagen oder
Ross gut gehen.

IV.

Vocabulum *Navis* æquivocum esse modò ostendi-
mus, videamus jam anne & aliis nominibus apud Autores Synony-
mia.
& imprimis *Ἰκτος* vocitetur: Et certum est *Ratem*, quæ
propriè nihil aliud est, quàm trabes quædam connexæ,
vulgò *Stöbholzer* & aliàs *Schedia* in *l. 1. §. 6. ff. de Exerc.
act. ibique Gothofr. lit. D.* appellatur, nomine navis ali-
quando apud Poëtas (licèt ferè abusivè) venire, uti apud
Virg. Itæ rates curva, &c. Utuntur & *Alveo* pro navi
Poëtæ, ut idem *Virg: l. 6. Æneid: simul accipit alveo, in-
gentem Æneam, &c.* Vocatur etiam navis apud *Æschy-
lum* & alios veteres præcipuè Poëtas *Currus*, apud Ho-
merum *Equus*, quod curruum equorumque eadem quæ
navium sit ratio, nam & hæ exiguo remorum flexu velut
frenò aut habenis quaquaversum diriguntur. *A Johan.
Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 1.* appellatur *Vehiculum*, istius-
modi scilicet, quò utimur in aquis: Imò *navigium* à navi
nihil distare ex *l. 1. §. 14. ff. de flum.* satis colligitur: Græ-
cis navis, *vâus, vaôs* vel *veôs* dicitur, ut supra jam monitum.
Iisdem *Navigatio* *Φορτηγία* dicta est, quam Latinâ voce

Vecturam (eam sc: quæ fit in aquis) appellari posse existimat. *Scheff. cit. loc.*

V.

Definitio.

Sequitur ut consideremus *quid sit Navis, quid Navigatio.* *Navis* nihil aliud est, quàm ex uno pluribusve lignis fabricatum aut compositum vehiculum, quo in aquis utimur definiendo sic. *Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 6.* Dicitur autem *navis vehiculum* ad similitudinem currus, quod æquè in mari, atque ille in terrâ vehatur: Deinde, *vehiculum quo in aquis utimur*, ad differentiam currus, vel rhedæ, quæ quidem etiam sunt vehicula, sed ejusmodi quibus in terrâ utimur. Neque huic obstat quod *Botrus* lib. 8. Pol. c. 3. meminerit navium quarundam in Italia constructarum, quibus navigari potuit in terrâ, & his non absimile navigium excogitarint *Batavi*, quo in glacie utuntur: Hæc enim illisque similia navigiorum genera anomala esse, & ideo inter navium miracula à *Iob. Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 4.* meritò recenseri, quis dubitaverit? *Aquas* in definitione intelligimus, sive flumina sint, sive maria, nam in utrisque navigatur, licet si commoditatem spectes, meliùs ac tutiùs in illis, flumina enim minùs violenta minusve tempestatibus sunt obnoxia (licet nonnunquam quædam sit vis fluminis l. 2. §. 3. & 7. ff. si quis Caut.) unde fit ut priùs, in fluminibus, postea demum in mari navigatum esse arbitrentur teste *Claudiano in Pref. Rapt. Proserp.* de quibus latius infra ubi de materiâ navigationis agemus. Sunt igitur hæc genus & diff. specif. *navis.* Materiam ex qua, diximus esse lignū, quod de materiâ ordinariâ intelligi volumus, ex aliis enim & variis reb9 olim confectas esse naves, postea, quando ad materiam *navis de-*

vis deveniemus, explicabimus. *Lignum* hoc est vel unum tantum vel plura: Unum, quando v. g. ex unicâ arbore navis oblonga & concava in formam alvei, german. ein *Multe* seu *Troog* constructur, cujusmodi fuit *μονόζυλον* ab Erythræo inventum, quod nihil aliud quàm parvulum navigium ex una arbore excavatum, de quo *Virg. l. 1. Georg. & Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 3.* Ex pluribus verò regulariter. Denique *Compositum* vel *fabricatum* esse diximus, velideo, quod struere naves artificiale quid non naturale sit, natura enim producit non componit aut fabricat, artificilia verò (puta mechanica) manu fiunt, ideoque perpetuam causam non habent, inquit *Paulus* in *l. 28. ff. de serv. præd. urb.*

VI.

Ad accuratam navigationis definitionem inquirendam distinctione, ut summoperè ad plurimos in jure decidendos casus necessariâ *arg. l. 52. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 85. ff. de legat. 3. & passim*, opus est. Distinguendum ergo inter ipsum actum navigationis & Naviculariam h. e. artem ipsius regendæ navis. Priori significato accepta Navigatio definiri potest, quod sit *iter quoddam maritimum, quo à Magistro navis & nautis mediante nave personæ vel merces ei impositæ de loco in locum transvehuntur.* Iter hic non servitutem, ut in *l. 1. ff. de serv. præd. rust. & pr. I. de serv. præd.* sed peregrinationem denotat, quo sensu accipitur in *l. 3. ff. de V. S. & iter agentes pro viatoribus sumuntur in l. un. in fin. ff. furt. advers. naut.* *Maritimum* appellavimus ad contradistinguendum itineri terrestri, sive quod terrâ sit. Addidimus, à *Magistro & nautis*, nam hos necessariò in navi requiri pater

patet ex *l. 1. pr. & §§. seqq. ff. de exerc. act. & l. 1. ff. Naut. Caup.* Subjunximus *mediante nave* absque hac enim non magis navigari, atque in terris sine currū vehi posse non solum naturaliter constat verū etiam navem ad hoc parari ut naviget, satis indicat *l. 12. §. 1. ff. de Usufr.* Per verba *Personæ vel merces* hīc innuitur distinctio inter naves onerarias & vectorum ductrices, de qua in *l. 1. §. 12. de exerc. act.* Sequitur tandem, de *loco in locum transvehuntur*, quo indicatur finis ipsius navigationis, de quo infra. Et hæc de navigatione priori modō acceptā.

VII.

Altero respectu pro Naviculariā seu ipsa navigandi arte considerata, Navigatio describi potest, quod sit *Ars bene navigandi*, sive, *Ars bene regendi navem*, h. e. navem sartam, tectam, salvam & incolumem in portum & locum destinatum deducendi, Quæ definitio non longè abit ab illa *Scheff.* dum inquit in *l. 1. c. 1. de mil. nav.* *Navigatio est ars cujus ope & subsidio vehiculum per aquas ducitur.* Et sanè navigatio non immeritō inter artes easque non faciliores aut abjectiores sed egregias & nobilissimas refertur, quas si quis comparare sibi velit summum studium industriamque adhibeat necesse est teste *Thucyd. lib. 1.* Namque opus navigationis non est quale vel sutoriæ vel alterius ex sellulariis, quod manibus tractari queat, sed quale Medicinæ aut equestris artis, quod non diutius, quàm quando fit, ostendi potest: Nimirum flectere gubernacula, remos concitare docet, cumque usus exigit vel in rectum vela dare, vel in obliquum, atque ita cursum navis bene moderari, nam hoc qui facit, rectè & ex arte navigare dicitur, ceu docet *Scheff. de mil. nav.*

nav. d. l. Ast quomodo quis navigationem dixerit artem, quæ ingruente tempestate, cum navis non ex navigantium arbitrio sed pro libidine ventorum fertur, eam moderari vel flectere pro lubitu nequit? Neque tamen vel ideo deteriorem Medicinâ, cum morbo non liberat ægrotum, aut statuariâ cum saxum durius & asperius eburneæ Veneri Phydix non assimilât, hanc navigandi artem esse profectò opinamur. Nodum hunc solvit Seneca dum nautam vel gubernatorem duas repræsentare personas notat: alteram, communem cum omnibus qui eandem conscenderunt navim, quâ ipse quoque vector est: alteram verò, propriam, quâ est nauta sive gubernator. Felicitatem ergo & salutem expetit non tanquam nauta vel gubernator sed ut vector, & qui alias in terras navigare cupit. Cui accedit, quod, etiamsi malum patiatur, ejus rei culpa non sit ab arte, sed à re in qua versatur: Illa dubia & anceps, illa est incerta. Quid enim quæso inconstantius, imò quid violentius natura edidit, quàm maria & ventos testante *Imp. in l. 6. C. de Off. Rect. prov. & Ulp. in l. 2. §. 6. ff. si quis Caut.* Quare nihil mirum, si humana imbecillitas interdum eis cedat, si ars egregia nō vincatur sed vincendo fatigata quandoque succumbat: Neque hīs ullo modo refragatur quod imperitia aliquando culpæ annumeretur §. 7. *I. de L. Aquil. & l. 132. ff. de R. I.* & infirmitas culposa sit §. 8. *I. d. t.* siquidem nauta propter neutram culpæ reus, & potius propter vim majoris rei impetum, quem nemo repellere *l. 2. ff. quod met. caus.* nemoque præstare potest *l. 33. in fin. ff. locat. Cond.* excusandus est. Tantum de Definitione.

VIII.

Naves in genere consideratæ multifariam dividi possunt: Divisio

B

sunt:

sunt: Et quidem, 1. ratione subjecti *arg. l. 49. ff. de R. V.* alia sunt *marinae*, de quibus in *l. 5. §. 5. ff. de jur. immun.* alia *fluviatiles*; quæ fluvii capaces ad mare non sufficientes *l. 1. §. 112. ff. de exerc. act.* quales sunt piscatoriæ, actuariæ voluptatis causâ comparatæ & similes *l. 2. pr. ff. de Capt. & postlim.* alia in *stango seu palude navigantes*, quales sunt *ξύληναι* h. e. lignorum vectrices, quæ hæc *ἀπὸ τῶν ἰλῶν* i. e. à paludibus deducunt. *l. 55. §. 5. ff. de legat. 3.* alia *schedia*, quæ sunt navigii genus inconditum, (ut supra dictum) trabibus inter se tantum nexis factum *l. 1. §. 6. ibiq. Gothofr. lit. d. ff. de exerc. act.* Nobis vocatur ein *Flöß* vel *Flößen Hahn* ad *d. t. n. 3. in fin.* horum quoque mentio fit in S. S. Literis 2. Chron. 2. vers. 16. 2. Ratione objecti quædam sunt *Onerariae* German: ein *Last*, oder *Fracht*, *Schiff*, *Kauffmanns*, *Schiff*, Belgis, *een Coopvaerdye-Schip*, qui in suâ vernacula pro magnitudine hujusmodi naves distinguunt, diversisque appellant nominibus, ut sunt: *Crytzeeglar*, *Lüchter*, *Schoet*, *Boyart*, *Eeser*, *Prahm*, *Aroke*. Quædam *ἐπιβάτηναι*, i. e. *vectorum ductrices*, quæ vectores trajiciunt, ad onera inhabiles *l. 1. §. 12. ff. de exerc. act.* *Lintres*, nostris ein *Cahn* oder *Nachen*, Belgis *een Boot*, quibus accenseri possunt naves actuariæ voluptatis causâ comparatæ Belgis *een Speeljaegt* oder *Speelschoete*: Item leve quoddam & parvum navigii genus à Gronis inventum ad capiendas balænas, quarum capturâ Gronia seu Gronlandia maximè nobilitatur, aptissimum, quod nonnullis dicitur: ein *Jagt-Schiff*. Quædam sunt *mixta* i. e. tam onerariæ quàm vectorum ductrices, cujusmodi sunt naves illæ vectoriæ quæ peregrinantes & currus oneratos rectâ trans flumen portare solent, vulgò eine *Fähre*. Quædam denique *ξύληναι* i. e. lignorum vectri-

veſtrices, de quibus in *l. 55. §. 5. de legat. 3.* German:
 ein Holzſchiff. 3. Ratione modi gubernandi dividuntur
 naves in tria velut agmina: Unum earum quæ admini-
 ſtrantur velis, quod onerariarum eſt: Alterum, earum
 quæ aguntur remis, quod longarum vel actuariarum eſt:
 Tertium, earum, quæ utriſque ſimul. *Scheff. de mil. nav.*
l. 1. c. 4. 4. Naves quoque diſtinguuntur in Onerarias
 & militares ſeu bellicas, vulgò Dorlogs, Schiff, Galion oder
 Streit, Schiff. Ubi notandum quod in hac diſtinctione
 onerariæ non ita ſtrictè uti in ſecundâ, accipiantur, ſed
 pro omnibus iis navibus, quæ ad prælia ineptæ, de qua-
 rum generibus & formis antiquis latè agit *Scheff. l. 2. c. 2.*
 Navibus his bellicis nõ ſunt diſſimiles prædatoriæ ſeu pi-
 raticæ: Gallis, Galiotte, nobis, ein Gaeyer, oder, Raub, ſchiff/
 quæ navigia piraticam pravitatem exercentia vocantur
 in *Aut. 3. Navigia C. de furt.* Tandem hic non præter-
 eundum, naves marinas ſcilicet nominibus, titulis, & in-
 ſignibus inter ſe diſtingui, vocatur enim alia *Rex David*,
 alia *S. Maria Loretana*, &c. uti videre eſt ex formula Af-
 ſecurationis apud *Benev. Strach. de Affecurat.* & hodie
 communiter omnibus: Wir Aſſeureurs hierunter gezeichnet/gelo-
 ben und verobligieren uns zu verſichern und verſichern auch hiermit an
 Euch/er. die Summa/er. auff das ganze Schiff genandt König Da-
 vid/er. Et hæc nominum ſeu titulorum impositio aliquan-
 do hunc habet uſum ut conſtet quæ navis immunis ſit à
 tranſvehenda annonâ, quibus ne falſò & ſubdolè ad ſuum
 commodum, quis utatur, providere voluerunt *Impp. Ar-
 cad. & Honor. in l. 1. C. de nav. non excuſ.* qui igitur Po-
 tentiorum inſignia & titulos ſuis navibus affigunt ad evi-
 tandam profectionem & onera publica coercentur *l. 27.*
§. ſin. ff. de falſ. Perez. in C. d. t. priori n. 8. Strach. de

Naut. P. 3. n. 23. imò ejusmodi insignia alienis navibus affixa propriâ autoritate detrahi posse facit. *l. 1. C. ut nem. lic. sin. jud. auctor. sign. reb. imp. alien.* Diximus navem in genere consideratam, eo, quo factum est, modò dividi posse. Jam videamus quomodo ut totum in suas dispecatur partes: Sunt autem tres: *Prora, Puppis, Venter:* quarum quælibet iterum suas habet partes, quas longo ordine recenset *Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 6.* Deinde habent & naves quasi sua membra, veluti, gubernaculum, malum, antennas, velum, omniaq; quæ iis conjuncta sunt *l. 44. ff. de Eviçt. l. 242. ff. de V. S.* Habent & sua armamenta, de quibus in *l. 3. §. 1. ff. de R. V. vid. Strach. Tr. de Navib. P. 2.*

IX.

Navigatio discernitur: 1. vel in necessariam, vel utilem, vel voluptuariam. Necessaria subdividitur in simpliciter talenti, quæ Græcis *Φορτηγία*, Latinis *veçtura* dicitur, *piscaturam* & *piraticam*: Necessaria navigatio simpliciter talis vel inservit annonæ urbis & delegatas species annonarias transfert *t. t. C. de Navicul. l. 5. §. 3. ff. de jur. immun.* Vel mercaturæ merciumque seu rerum advehendarum causa exercetur. *Strach. de Naut. P. 1. Piraticam*, ob causam necessitatis apud plerosque Veterum, qui in locis sterilibus incultisque degebant, non modò non indecoram sed & gloriosam fuisse autor est Justin. lib. 43. c. 3. Ea verò quæ postea exercebatur & ad pecora furtivas convertebat manus, alienas invadebat subigebatque regiones, & insidias hominibus foeminino præsertim sexui faciebat, scelerata ideoque punienda fuit *l. 1. & 2. pr. ff. de vi bon. rapt. l. 1. pr. ff. de incend. ruin. & piratica pravi-*

pravitas *Auth. Navigia C. de furt.* appellatur. Hinc factum, ut ista piratarum sævitiâ tandem homines commoti primum odisse piratas, se suaque defendere, mox & obviam procedere, armisq; vim eorum coërcere cœperint: Ita quartum necessariæ navigationis genus *militare* sc. exortum, quo piratas ut homines sceleratos publicosque generis humani hostes prosequeretur. *Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 1.* 2. Navigatio non incommodè pro diversitate navium dividi potest in eam quæ fit vel in mari sive maritimam, in eam, quæ fit in flumine sive fluviatilem, eamq; quæ fit in palude seu stagno. 3. Navigationem in primam & secundam vulgò dispescunt Autores: Prima dicitur, cum post sævitiâ hyemis, qua mare clausum est, vere navigantibus primum aperitur: Secunda esse creditur à die 6. Kalend. Jun. usq; in diem 18. Kalend. Octob. *Turneb. advers. lib. 24. c. 34.* & *Calvin. in verb. Navigatio.* 4. Navigatio à modo gubernandi æquè ac naves dicitur in eam quæ fit vel remis solis vel solis velis, vel utrisque, de qua vid. *Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 4.*

C L A S S I S II.

Classis II.

Continens

Navis & Navigationis Originem, Causam, Materiam, Formam, Finem, & Effectum.

T H E S I S I.

PRimum Navis inventorem ipsum fuisse Deum affirmare non erubescimus, quippe qui Noacho *Genes. 6. vers. 14. & seqq.* modum, materiam & formam exstruendi navem ipsemet præscripsit: Ideoq; naves Deo non displicuisse

B 3

cuisse

fuisse constat ex multis S. Codicis textibus, uti 1. *Reg. c.*
9. vers. 26. & c. 10. vers. 11. vers. 22. 2. *Chron. c. 2. vers.*
16. ubi fit mentio schediarum vulgò *Flößen*. *Actor. 13. vers.*
4. 18. vers. 18. item 20. *vers. 6. 21. vers. 2. 3. & seqq. c. 27.*
per tot. Imò ipsum Servatorem navivectum fuisse in eaq;
 docuisse luculenter & apertè testatur Evangelistæ: *Matt.*
8. vers. 23. Marc. 4. vers. 1. & 35. Luc. 8. vers. 22. Er-
 rant igitur qui navium inventionem Noacho adscribunt,
 licèt enim ille navem, quam arcam dicimus, tempore ca-
 tacyfmi fabricaverit *Gen. 6. vers. ult.* non tamen vel ideo
 magis eum hanc invenisse affirmare possumus, atque me-
 chanico operis alicujus artificiosi, qui illud secùdum præ-
 scriptum ab artifice modum confecit, inventio tribuenda
 est. Magis errant qui navium autores ipso Noacho ju-
 niores esse volunt, quos refert *Polyd. Virg. l. 3. de inv.*
rer. c. 15. & Tholos. syntagm. jur. l. 1. c. 3. n. 6.

II.

Si ipsam Dei intentionem spectemus, qui vel ideo
 Noacho arcam seu navem exstruere demandavit, ut in eâ
 naviget, & se suosque cum nonnullis animalibus ab in-
 genti ista diluvii tempestate defenderet; non immeritò
 Deum ipsum sicut Navis ita & Navigationis primum Au-
 torem constituemus: Sin verò respiciamus ad hominem,
 qui jussu Dei primam navem confecit, primaque vice na-
 vigare cœpit, sanè non aliter possumus, quin Noacho na-
 vigationis inventionem adscribamus cum *Polyd. Virg. de*
inv. rer. l. 3. c. 5. *Non injuria,* inquit ille, *& navigandi*
& condendarum navium usum primùm à Noë, antequam,
quod memoriæ proditum sit, nemo mare tentaverat, flu-
xisse credere cõvenit: & huic assentitur *Gyraldus, Kecker-*
mannus,

mannus, & plurimi ex nostris & superioris seculi hominibus. Neq; hanc nostram sententiam infringit argumentis suis partim longè petitis, partim nudis conjecturis laborantibus *Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 2.* Quod enim 1. arbitratur Noäm non tam artem navigandi invenisse, quàm navigiorum melius exstruendorum rationem, perspicuè falsum est, siquidem modum condendi naves non à se sed ab ipso Deo didicit, uti satis constat ex *Gen. 6. vers. 14. & seqq.* 2. Habet hæc sententia & illud falsi (quod & ipse *Scheff.* sibi objicit sed refutare annititur) quod si tantum navium exstruendarum commodum rationem auctore Deo generi mortali Noäm monstrasse dicamus, etiam antè usus navium, licèt infrequentior minusque commodus exstitisse videatur: Hoc autem nullibi memoriæ proditum esse testatur *Polyd. Virg. cit. loc.* 3. Non destrunt sententiam nostram nudæ illæ *Schefferi* conjecturæ, quod, quia ante diluvium orbis ab hominibus fuerit occupatus, quia flumina & maria etiam tunc exstitisse *S. Codex* doceat, in tantâ temporis diuturnitate semel iterumque navigatum nemo qualicunque scientiâ negare queat: tum etiam quod simul aliæ artes minùs utiles, minùs necessariae tunc fuerint usitatae, quare non & navigatio? Negamus enim simpliciter consequentiam, (quæ à posse ad esse nullò modò valet) licèt ante diluvium orbis ab hominibus fuerit aliquo modò occupatus, ut etiam *S. Codex* hominum numerum crevisse testetur *Gen. 6. vers. 1.* non tamen inde sequitur, eum in tantum occupatum fuisse, ut homines ab unâ parte maris non sufficientem habuerint habitationem, ideoque navigationem fuisse necessariam, ut trans mare vehi potuissent. Neque porrò necessariò sequitur, flumina & maria exstiterunt. E. homines in iis
naviga-

navigarunt, si quidē ante hac multa in ipsā rerum naturā
 exstitisse, quorum usus demum longum post temporis in-
 ventus, innumerabilibus exemplis demonstrari potest.
 Ex his sponte fluit, *tertiam* illam conjecturam nullo stare
 fundamento, & navigationem tanquam tum temporis
 nondum necessariam inventione non indiguisse. Debi-
 lior adhuc est illa Conjectura, quod fortē ratibus tantum-
 modō aut acatiis usi fuerint, quam tamen nullo testimo-
 niō stabilire potest, & qua objectionem, quam sibi met fin-
 git, solvere annitur, quod ideo navigationem incogni-
 tam ante diluvium fuisse quis oggerat, quia illius benefi-
 cion in ipso diluvio homines servari potuissent, quod im-
 possibile asserit, quia ejusmodi rates, quibus ante diluviū
 usos fuisse homines somniat, contra imbrium violentiam
 valere non potuerint, tum etiam temporis diuturnitas
 obstiterit, quā, si vel maximē valuissent, fatigatæ tamen ad
 postremum succubuissent, &, quod maximum est, divina
 voluntas, contra quam nullam vim humanam satis esse va-
 lidam nemo ignorat. Ultima hæc ratio validissima &
 magis nostram quā illius adstruit sententiam, siquidem
 Noam cum suis & certo ex quovis animalium genere nu-
 mero in ejusmodi navigio, quod arcam ipse Deus appel-
 lat, tempore diluvii conservari debuisse, merē fuit volun-
 tatis divinæ. 4. Nihil ad rem faciunt authoritates à
Scheffero allegatæ tanquam diluviō posteriores, & non
 minùs atq; illius solā conjecturā nitentes. Denique &
 5. nostram thesin non impugnat *Scheff.* dum ait: *Quod*
Noaë in illa universi inundatione navigatio nullō pacto
revera talis dici possit, quia non directā fuerit navigantis
manu ac arbitrio, potiusq; fuerit vectura, quam sola Dei
providentia nullo navigantis vel consiliō vel factō guber-
naverit:

naverit: Libenter enim concedimus, illam ejusmodi navigationem non fuisse qualem in sequentibus & adhuc nostris temporibus exercemus, sed rudem atq; incultam, qualem ab initio aliarum rerum exemplis navigationem fuisse ipse credit *Schefferus l. 1. c. 3.* Falsum igitur quando *Strabolib. 10. Georg. Minoem, Diodorus Sicalus lib. 6.* Neptunum, alii Prometheum, alii Janum, plures etiam Minervam ut cæterarum artium inventricē, *Scheff. l. 1. c. 2.* Phœnices navigationem invenisse tradunt: Etsi hoc cum *Tholos. syntag. jur. l. 1. c. 3. n. 6.* non diffiteamur, seculis Noachum sequentibus aliquos alicubi usum demonstrasse, & imperandi per vim sibi sceptrum arrogasse, non aliter quàm contigit etiam in terrâ, simulque leges aquis finitimis & insulis dictitasse, sicut & regnicolis aliis.

III.

Sed videamus quâ ratione Mare dominio subjiciatur. Rem altiùs repetentes in S. Codice *Gen. 9. vers. 2.* reperimus, quod Deus humano generi generaliter contulerit jus in res hujus inferioris nature statim à mundo condito, attestante *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 2. §. 2.* ideoque omnia jure nature fuisse communia, quod demum jure gentium dominia rerum fuerint distincta colligunt *interpp. & gloss. ex l. 5. ff. de I. & I.* Et quamvis quod ad jus naturale res sese non aliter habuerint, non tamen illud ita simpliciter accipiendum, ac si jus naturale illam omnium rerum cõmunionem expressè præciperet, ac si omnis rerum proprietas juri naturali è diametro repugnaret; sed quod res jure nature non sint divisæ, sed vacuæ relictæ & in medio quasi positæ, ut ab alio occupari & sic occupando acquiri & detineri possint. Ex quo constat & Jus naturale

C

turale

turale agnoscere proprietatem, eò ipso scilicet, dum res
 occupationi exposuit, unde rectè dicitur in §. 12. *I. de R.
 D.* res nullius jure naturali occupantis fieri, si enim Juri
 Gentium dominiorum distinctio demum adscribenda es-
 set, inconvenientissimè sequeretur, nec Adamum nec fi-
 lios ejus nec ante gentem ex ortam in societate domesti-
 ca quidquam proprium habuisse, imò, quod absurdus,
 ipsum furtum jure naturali prohibitum testante *l. 1. §. ult.
 ff. de furt.* eodè jure licitum impunitumq; fuisse. Deus Na-
 turæ Autor (ut modò dixim⁹) res omnes utendas fruèdas
 dedit toti generi humano, ita ut quilibet ex illo rerum
 cumulò, quod vellet, arripere posset, & quæ consumi po-
 terant, consumere, qui usus juris universalis erat tunc vi-
 ce proprietatis & quod quisque sic arripuerat, id alter ei
 eripere citra injuriam non poterat inquit *Grot. de I. B. &
 P. d. l.* Hoc jure Naturali præter alia etiam mare com-
 mune factum est omnium *l. 2. §. 1. ff. & §. 1. I. de R. D.*
 ideoq; omnibus naturà patere docet *Ulp. in l. 13. ff. Com.
 præd.* Hinc fit ut mare sumptum aut sub ratione integri, aut
 sub ratione præcipuarum partium in proprium jus abire nõ
 possit. *Grot. cit. loc. §. 3.* Et in partibus cognitis Rom. Imp.
 à primis temporibus ad Justinianum usque juris gentium
 fuisse, ne mare à populis occuparetur, testatur *Idem. lib. 2.
 c. 3. §. 9.* Quamvis ad exemplum fluminis & mare occu-
 pari posse ab eo qui terras ad latus utrumque possideat, et-
 iam si, aut supra pateat, ut sinus, aut supra & infra, ut fretum,
 dummodò non ita magna sit pars maris, ut non cum terris
 comparata, portio earum videri possit, idem Vir Summus
 concedat *d. l. §. 8.* Hanc tamen Maris communionem
 ad proprietatem restrinxisse videntur Rhodii, qui maris
 imperium & dominium sibi acquisivère, unde & *L. Rhodia*
 maris

maris domina dicitur in *l. 9. ff. ad L. Rhod.* de qua vide *Gothofr. de imp. mar.* Et constat quidem in mari navigare prohiberi posse neminem ex *l. 2. §. 9. ff. ne quid in loc. publ. §. 1. I. de R. D.* neque in flumine *l. un. ff. ut in flum. publ. navig. lic.* hoc tamen ad *h. l. Bart.* intelligi vult, ut quis à privato navigare impediri non possit, sed ab eo, qui habet jura Regalia in illo territorio: Inde hodie res olim communes veluti mare & littora maris potiùs sunt Regum & Principum, qui liberiori usu coarctato dominium in eas acquisiverunt & inter Regalia easdem acceperunt *Feud. c. un. quæ sunt regalia.*

IV.

Sicuti Noäm primam navem ex mandato Dei fabricasse suprà abunde declaravimus, testante id *Gen. 6. vers. 14. & ult.* ita eum ejusdem causam efficientem fuisse sua sponte sequitur. Cæterùm causa cujusvis navis sine omni dubio est is, qui eam confecit, & exstruxit, quales hodie apud nos sunt Fabri illi lignarii, vulgò die *Schiffbauer.* Huc pertinet quæstio: Si navim à se fabricandam quis promiserit & hoc specialiter actum sit, ut suis operis id perficiat, an per alium faciens liberetur non consentiente stipulatore? Et non liberari inquit *Jctus* in *l. 31. ff. de solut. non obstante reg. qui facit per alium. 72. de R. I. in 6.* quæ hìc propter differantiam doctrinæ & institutionis inter artifices cessat, quam specialitatis rationem reddit *Jctus* in *d. l.*

V.

Causa Navigationis est triplex: Necessitas, Utilitas, & Voluptas. Necessitatem primo loco posuimus, ea enim

C 2

prima-

primaria est productæ navigationis causa: Nam ab initio cum adhuc pauci essent homines in terris una eis regio tametsi parva ad alimenta resque necessarias sufficiebat; Verum postea, ubi numerus ipsorum augebatur, non modo non alere illos sed ne capere quidem omnes potuit: Novæ ergo sedes extra solum patrium quærendæ fuerunt, ad quas quò minus perveniri possit, flumina & maria objecta faciebant, nec audebant ea ingredi homines, ob memoriam recentis adhuc cladis per diluvium acceptæ, ac exinde metum. Venit ergo Deus in curarum partem dubias & incertas mentes hominum firmavit, uti colerent terrarum orbem crebrò adhortatus est, denique vi quadam arcanâ ineffabiliq; animos ipsorum ad cupiditatem hujus rei accendit, ita *Φορτυγία* nata est, quam Latinâ voce *Vecturam* appellare possumus. *Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 1.* Accedit, quod *non omnis* (ut ait *Virg.*) *ferat omnia tellus*, cum autem multa ad sustentandam vitam nobis sint necessaria, sit aliquando, ut, quod ego ad necessarium victum desiderem, mea non ferat tellus, & quod alter, neq; in suo reperiat solo; Inventum igitur sicut in emptione pretium *l. 1. pr. ff. de contrah. empt.* Ita in hac causa medium vectura scilicet, quâ invicem tam mari quàm terrâ humanæ succurritur indigentia, & quorum inopiâ laborat regio, ea mediante navigatione abundanter ad eam transvehuntur. Hæc respiciens *Ulpianus* non immeritò navigandi necessitatem ipsam navigationem appellat in *l. 1. pr. ff. de Exerc. act.* Est & necessaria illa navigatio quæ annonæ urbis servit, & delegatas species annonarias transfert, de qua in *l. 5. §. 3. ff. de jur. immun.* Necessaria quoque est navigatio vel ob piscaturam, cum enim Summus rerum Moderator etiam in pisces hominibus dominium concessit

concesserit *Gen. 9. vers. 2.* quis eos absque navigatione in vasto illo mari & amplis fluminibus capere sibi que acquirere posset? Necessaria insuper navigatio est ob illa loca, quæ mari modò non commodè & nisi per ambages, sed quæ omnino non terrà adiri possunt, cujusmodi sunt Anglia & Venetiæ. Tandem etiam necessitas navigationis in eo versatur, ut multi contractus inter absentes ejusmodi in locis quæ non nisi mari peti possunt degentes in-iti, aliàs effectum suum sortiri non possint arg. *l. 1. §. ult. ff. de Contrah. empt.*

VI.

Sequitur secunda navigationis causa, quam *Utilitatem* 2. *Utilitas.* esse diximus. Ex hac primùm nata est *Εμπορικη* quæ mercaturæ, merciumque seu rerum advehendarum causâ exercetur. *Strach. de naut. P. 1. in fin.* & hæc non solùm omnium terrarum commoda inter se permiscet, sed & societatem humanam, quâ nihil suavius in vita, nihil naturæ convenientius, perpetuò conservat, unde *Cic. lib. 2. de Nat. Deor. Navigiorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copie, plurimisq; rebus maritimis fruimur atque utimur, propter nauticarum rerum scientiam.* Neque modò talis navigatio confert ad societatem, sed & celebritatem famæ atque gloriam, quam longè meliùs faciliusque hujus quàm alius cujuscunque rei ope, non modò acquirimus, sed & conservamus. Nam neque Græci celebres fuère antequam navigationibus incumberent, neq; Romani antequam imperium suum ultra mare trāsferrent, crebrisque commerciis nomen suum latè per universum orbem ostentarent. Sic & in Ægypto Alexandria, in Africa Carthago, in Europa Byzantium, & ut ad

recentiora veniamus, Venetiæ, Genua in Italia; Massilia in Gallia, Antverpia, Amstelodamum, Hamburgum Patria mihi dulcissima in Germania ad summam nominis claritatem pervenerunt. Quare non immeritò *Jctus* ad summam Remp. navium exercitationē pertinere ait in *l. 1. §. 20. ff. de exerc. act.* ideoque utilitatem actionis exercitoriaē patere nemo est qui ignorat *d. l. 1. pr.* Non omissendum est, quod & cultiores redditæ sint gentes, si non per eam ipsam, occasione saltem ejus artis: Ita nemo ignorat nostris etiam temporibus barbaras Indorum nationes, postquam navibus ad eas iri, commerciaque institui cum ipsis cœperunt, factas esse meliores: Nimirum artes & scientias pro seipsa postulat, alias invenit, alias jam inventas alia in loca transportat; Neque gens est navigationi modò dedita quæ non simul variarum artium notitiâ floruerit, quod multis probari potest exemplis. Atque hæc est prima utilis navigationis ratio. Altera ad sanitatem pertinet: Nam & hanc per navigationem recuperari, recuperatamque custodiri docet frequens usitataque apud Romanos navigatio, in Ægyptum hoc præcipuè sine instituta, teste *Plin. l. 31. c. 6.*

VII.

g. Voluptas.

Postrema navigandi causa superest, quam Voluptatem fecimus: Ea fit cum navigiis ad luxuriam instructis per lacus fluminaque oberratur. Talis navigatio in sinu Bajano Senecæ temporibus fuit, ut ipse epist. 51. testatur. Naves hujus causâ comparatæ vocantur *Actuarie* in *l. 2. pr. ff. de Captiv.* Nec mirum navigationem aliquando inter instrumenta luxuriæ esse, cum ipsa ferme luxum gignat, quanquam non deterior idcirco sit navigatio, cum
& bo-

& bona afferat plurima, nec noxia sit, nisi eis, qui bonis e-
jus pravè utuntur, quem in modum latè differit *Scheff. de*
mil. nav. l. 1. c. 2.

VIII.

Materia navis est vel ordinaria vel extraordinaria seu ^{Materia}
minus usitata. Ordinaria sunt tabulæ, h. e. asseres se-
ctiles, quo sensu tabulæ apud Architecturæ Professores
Autore Festo accipiuntur, & tales intelliguntur in *l. 183.*
ff. de V. S. ubiq; Goed. & Wissenbach. item trabes, *Scheff.*
de mil. nav. l. 1. c. 3. quibus ad connectendum adduntur
pix, linum, clavi & quæ sunt similia. Extraordinaria seu
minus usitata materia fuit diversa, quando olim Veteres
in ipsis piscibus navigarunt, aliquibus in locis crustis pi-
scium navigiorum loco usi sunt teste *Diod. Sic. l. 3. de*
Chetenophagis. Ægyptij testaceas naves quondam fecê-
re, & finxerunt ex luto quo superarent mare. *Juven. Sat.*
15. quod confirmat *Strabo lib. 17.* alias & ex papyro, quâ
illa regio abundat, habuêre *Lucan. l. 4. v. 135. & l. 3. v. 222.*
In quibusdam gentibus navigiorum vicem harundinis
præstant singula internoda *Plin. lib. 16. c. 37.* Fuêre &
naves solubiles, ita dictæ, quia in partes dividi, cumque u-
sus postulare, iterum conjungi poterant, de quibus *Curt.*
lib. 8. c. 10. Item plicabiles, quæ ex pellibus factæ sunt,
lignisque quibusdam circularibus, quibus expandi pelles,
exemtisq; rursus explicari possunt, tales Babyloniorum
illæ fuisse videntur, quas Herodotus describit. Meminit
Pontanus lib. 2. Hist. Amst. c. 21. navigii ex arborum cor-
ticibus confuti contextiq; quo Pitzorienses (india gens
est) utuntur. Apud *Lilium Gyraldum* matteas h. e. jun-
ceas naves legimus nullo autore indicato: *Plinius tanen*
l. 7:

l. 7. c. 56. in Nilo scribit, *fiunt & ex scirpo*: Sunt qui existimant Esaiæ Prophetæ tales fuisse, quarum mentio fit in c. 18. vers. 2. Rohr schiffe / item illam, in qua Moyfes expositus in Nilo proditur *Exod. 2. vers. 3. & seqq.* Ex pennis avium resina conglutinata affabreque factam, seipsum Leidæ vidisse perhibet *Scheff. de mil. nav. l. 1. c. 4.* Ibidemque refert, quod Boterus teste *Stypmanno lib. 2. c. 3. jur. nav.* etiam ex vitro se vidisse, asserat Venetiis. Marmoreas quoque haberi in quibusdam regionibus urbis Byzantii testatur *Scheff. d. l. ad indicium & monumentum rei bene gestæ.* *Zonaras Annal. 3.* æneam describit prorsus admirabilem, quæ, cum aliquando per incuriam facta esset, accidit, ut nulla oneraria portum Byzantinum adire valeret, sed adversis acta procellis retrò meare cogeretur, donec re studiosè exploratâ partibusq; summâ dilligentiâ conquisitis navigium reficeretur, tum demum pristino more navigare poterant. Aureâ navi vectum Jovem Ammonem vult. *Diod. lib. 17.* Aureas aliàs habemus in notitiâ imperii & descriptione urbis Byzantinæ, signa victoriarum navalium. Ex ebore fecit Myrmecides teste *Plin. l. 7. c. 21.* Et hætenus de diversis navium materiis.

IX.

Huc pertinent quæstiones quæ de materia navis passim in jure deciduntur. Ex quibus prima videtur de refectio-
ne: Quæritur quid juris, *si duo sint exercitores, seu ejusdem navis domini, alter cesset negligatq; reficere, alter verò navim quæ vitium fecerat communi nomine refecerit.* Putat *Ben. Strach. de Navib. P. 2. n. 8.* si intra quatuor menses socius cessans nummos pro portione erogatos
cum

cum centesimis usuris non restituerit consocio, qui referit, ex oratione D. Marci reficientem jus domini pro solido vindicare vel obtinere posse, idque per *l. 52. §. 10. ff. pro socio. & l. 4. C. de ædific. priv.* cui sententiæ tanquam juri nostro maximè congruæ & nos adstipulamur. Sed quid, *si navis dissoluta & refixa & iisdem tabulis compacta vel refecta sit an alia navis vel eadem dicenda est.* Respondemus distinguendo: aut enim navis resoluta neque restaurata: aut restaurata quidem, sed antea eâ mente dissoluta ut in alium usum tabulæ destinarentur: aut denique eum in finem dissoluta ut iisdem tabulis rursus compingatur & reficiatur. Primo & secundo casu non una eademque navis sed alia dicenda est per *l. 88. §. 1. & 2. ff. de legat. 3.* idque verum si carina navis dissoluta & mutata sit, nam eadem manente manet & eadem navis *l. 24. §. fin. ff. de legat. 1.* Item verum si navis penitus seu in totum uno contextu dissoluta fuerit, secus si per partes dissoluta & per partes refecta, tunc enim eadem navis dicitur *l. 10. §. 7. ff. quib. mod. ususfr.* idque in tantum, ut etiam si adeo sæpe refecta esset ut nulla tabula eadem permaneret, quæ non nova fuisset, nihilominus eadem navis existimetur *l. 76. ff. de Iudic.* Posteriori casu navis manet eadem per *l. 83. §. 5. ff. de V. O. l. 98. §. 8. ff. de solut.* Item quæsitum: *si quis navem suam ex alienis tabulis refecisset, an nihilominus navis reficientis maneret.* Et manere cum *Jcto in l. 61. ff. de R. V.* respondemus, ratio videtur, quod tabulæ hoc in refectiois casu fungantur vice accessorii quod suum sequitur principale *§. 26. I. de R. D. c. 42. de R. I. in 6.* Contrà verò se habet si ex alienis tabulis ad usum navis paratis & destinatis navem quis ædificaverit, fit enim navis domini materiæ, nam proprietas totius navis

D

carinæ

carinæ causam sequitur *d. l. 61.* ubi verò quis ex aliena rudiq; materiâ, v. g. ligno rudi & ex sylva cæso, vel cupresso, fecerit tabulas & ex tabulis ædificaverit navem, navis est facientis *l. 26. pr. ff. de Acq. Rer. dom.* cuius rei ratio redditur, quia altero casu ad priorem materiam res deduci potest, quo species semper manet domini materiæ §. 25. *I. de R. D.* altero verò non potest, quo casu est ejus qui fecit *d. §. 25.* Est & illud quæstionis: *An is, qui ad navem exstruendam reparandamvè pecuniam credidit, tacitam in ea habeat hypothecam.* Quod affirmamus per *textt. in l. 5. & 6. ff. qui pot. in pign.* ibique *Gothofr. l. b. arg. l. 1. ff. in quib. caus. pign. l. 52. §. 10. ff. pro socio,* non obstantibus, quas nonnulli in contrarium adducunt, *l. 34. ff. de reb. auth. Ind. l. 7. ff. qui pot. in pign. & l. 17. C. de pignor. act.* Consentit cum jure Communi *Statutarium Hamburg. P. 2. t. 4. artic. 14.* quæ hypotheca tacita boni publici causâ introducta videtur, quippe quod multum utilitatis Reip. versetur in navigationibus earumq; promotionibus. Et æquum est Creditori dari tacitam in navi hypothecam, quæ citra illius pecuniam fuisset ruitura *l. 6. pr. ff. qui pot. in pign.* Accedit, quod si Creditor in ædificiis, ad quorum refectionem credidit, tacitam habeat hypothecam, uti habet per *l. 1. ff. in quib. caus. pign. & l. 1. ff. de Jur. fisc.* quoniam in illis publici decoris & ornamenti urbis contemplatio versatur *l. 2. C. de ædif. priv.* quare non in navi habebit hypothecam tacitam qui in ejus refectionem credidit cum illud tantum conservet publicum Civitatis aspectum; Navigatio verò ipsam reddat locupletiolem, celebriorem, & potentiolem: Ille oculos tantum delectat, hæc Reip. Fiscum auget, sæpe hostem depellit, privatorum marsupium bene nummatum reddit, & omnia

omnia quæ publicè ac privatim utilia ac necessaria sunt adfert vel ex remotissimis locis, uti differit Summus ille Jctus Dn. Lauterbach. in *Disp. de diff. Jur. Civ. & Stat. Hamb. θ. 52.* Tandem illud etiam quæritur? si quis cave- rit ut sylvæ sibi pignori esset, num navis ex arboribus sylvæ facta pignori esse intelligatur: Quod negamus per *l. 18. §. 3. ff. de pign. act.* quia aliud est materia aliud navis, nisi nominatim in dato pignore adjectum fuerit, quæq; ex syl- vâ facta natavè fuerint *d. l. 18. §. 3. in fin.*

X.

Sequitur illa quæstio: *Annave emptâ singulæ tabulæ emptæ intelligantur, ideoque evictionis nomine obligetur venditor quasi evictâ parte.* Respondet Pomponius ad utrumque negando in *l. 36. ff. de Evict.* Neque priori officit, quod juris sit in toto quod ad totum, idem juris esse in parte quod ad partem *l. 76. ff. de R. V. §. 8. l. de fi- deicom. tabulas autem navis partes esse nemo unquam negaverit: Sunt enim plurimi casus, in quibus hoc argu- mentandi genus à toto ad partem non procedit præser- tim cum totius & partis diversa est ratio, aliudque à jure dispositum reperitur in parte & aliud in toto, quod satis patet *ex alleg. l. 36.* Neque posteriori obstat, quod etiam evictâ rei emptæ parte detur actio de evictione *l. 1. l. 39. §. 2. l. 45. ff. de Evict.* & tabulæ, ut modò diximus, sint partes navis. Distinguendum enim inter partes *homo- geneas* h. e. quæ idem nomen habent cum toto, ita pars fundi est fundus *l. 34. in fin. ff. de legat. 1. l. 60. pr. ff. de V. S. & heterogeneas*, quibus nomen totius non convenit, ita tabulæ ut partes navis non sunt navis *d. l. 36.* pars homi- nis non est homo, *l. 56. §. 2. ff. de Evict.* Evictis igitur*

partibus *homogeneis* competit actio, ita evicta parte fundi rectè agitur, quia fundus est evictus *d. l. 45.* Evictis verò partibus *heterogeneis* actio non competit, ita evicta parte hominis non rectè agitur, quia homo non est evictus *d. l. 56. §. 2.* neque evictis tabulis tanquam partibus navis, quia navis non est evicta *d. l. 36.*

XI.

Navigatio sive pro ipso actu sive pro arte navigandi accepta, cum sit incorporale quid, nihil ex quo subsistat, habet materiale, & multum in jure consistit *arg. §. 2. I. de reb. corp.* Materia autem in qua versatur ipsi cum navi communis est, & sunt aquæ, tam marinæ, quàm fluviatiles, tam stagnorum seu paludum quàm Lacuum *l. 1. §. 6. ff. de exerc. act. l. 55. §. 5. ff. de legat. 3.* hinc mare navibus subjacere dicitur in *l. 49. ff. de R. V.* Materia circa quam versatur navigatio sunt tam personæ quàm omnes res mobiles veluti merces, &c. immobiles enim loco non moveri, ideoque nec navigatione de loco in locum transferri posse plus quàm in propatulo est.

XII.

Huc pertinet regula illa generalis in *l. 1. §. 6. & l. 4. in fin. ff. Naut. Caup. Stab.* Earum scilicet rerum quæ post impositas merces in navem, locatasque inferuntur, ut vestimentorum & penoris quotidiani, vecturam non deberi, quia hæc ipsa cæterarum rerum locationi accedunt. Speciale est, quod dicitur in *l. 19. §. 7. ff. locat.* si quis nimirum mulierem vehendam navi conduxisset, deinde in navi infans natus fuisset, pro infante nihil debetur, cum neque vectura ejus magna sit, neque his omnibus utatur, quæ ad
navi-

navigantium usum parantur. Cui *Castrensis* has addit rationes, quod vectura solvatur pro impositis tantum rebus, & infantem in hac specie nunquam fuisse impositum, licet mater imposita sit, est enim partus, antequam edatur, mulieris portio vel viscerum *l. 1. §. 1. ff. de insp. ventr.* editus verò pars esse desinit & per se spectatur *d. l. 1. §. 1.* & ita intellige *l. 10. §. ult. ff. de usurp. l. 26. ff. de V. S. l. 42. ff. de Evict.* Ad *l. 73. ff. de legat. 2.* quæ obstare videtur, respondet *Pac. Ερωτωφ. Cent. 5. q. 36. in fin.* Altera *Castrensis* ratio est, quod infans per id tempus quo per matrem lactatur unum & idem cum matre corpus æstimetur. Idem de mancipiis in nave mortuis quod ad vecturam pro iis non solvendam prædicatur in *l. ult. pr. ff. de L. Rhod.* quamvis *Ben. Strach. Tr. de Navib. P. 3. n. 17. & seqq.* hic inter tres distinguat casus, quos ibi videre licet.

XIII.

Forma navis pro varietate specierum varia est: *Alia- Forma:*
rum enim navium solet esse forma oblonga & ovalis *l. 2. ff. de capt. & postlim.* qualis plerumque & marinarum & nonnullarum in flumine navigantium: Aliarum æquè latè patens, qualis communiter est earum navium, quibus peregrinantes, merces, currus & equi trans flumen transvehuntur vulgò die *Sähre*: Aliarum longa sed non ovalis, qualis est plerumq; navium fluviatilium, vulgò ein *Nachen* oder *Cahn* *l. 1. §. 6. ff. de exerc. act.* Aliarum in fronte præacuta, in calce verò obtusa, cujusmodi genus navigii German: vocatur ein *Prahm* & quæ sunt aliæ & ferè innumerabiles navium formæ, quas longo recenset ordine *Scheff. de mil. nav. l. 1. & 2.* Cæterum ut naves, imprimis bellicæ, formatenus bonæ sint, tria requiri docet,

D 3

idem

idem l. 1. c. 5. magnitudinem, levitatem, & robur. In magnitudine attendendum, ne vel nimia sit vel nulla: Nam utrumque est inutile, quia minima navigia à fluctibus facile subvertuntur, maxima vix regi possunt. Post magnitudinem observandum ne sint graves, sed ut flecti facile & celeriter circumagi queant: Cujus rei causa in bellicis navibus prima est, ut hosti profligato promptius instare, adeoque melius prosequi victoriam possimus, quod ferè impossibile est, si navigia sint graviora. Altera est, ut si fugam suadeat vel usus vel necessitas, melius servari queamus, vel ex mediâ fugâ naves circumagere, & hostes incompositè subsequentes adoriri: Ad hanc levitatem impetrandam pertinet, ut, nec subito, cum cæsa sunt, nec indiscriminatim quævis ligna capiantur, arida enim primum esse oportet è quibus debent fieri *Cæs. lib. 1. bell. Civ.* quæ res eò quoq; prodest ne navigia dehiscant *Veget. l. 4. c. 36.* deinde etiam non quævis ligna capienda sunt, cum ob nativam gravitatem, alia propter causas alias non sint idonea. Sylvestrem laricem & pinum domesticam & abietem commendat *Veget. lib. 4. c. 34.* Robur sive firmitudo obtinetur, cum & materia certo tempore cæditur, & naves bene compinguntur & obliniuntur studiosè, nam materia in tempestivè cæsa facile à vermibus pervoratur: Tempus ad cædenda ligna opportunum denominat *Veget. lib. 4. c. 35.* Compactio quondam ut & hodie clavis fit ferreis, pro quibus æreos adhibendos censet *Idem l. 4. c. 34.* quia æs non ita facile rubigine in aquis consumitur sicut ferrum, de quibus omnibus latè *Scheff. supra d. l.* Non parum quoq; formæ navium, imprimis marinarum, confert ornamentis, si ea, quæ his conjuncta sunt, bene sese habeant, ut sunt gubernacula, malus, antennæ, velum

l. 44. ff. de Eviēt. Germanis: Tackel und Taw / Fahnen und
 Flaggen / item artemon, quem nostro quidem iudicio, ve-
 lum esse majori additum ab ἀρτιον assuendo rectè *Alciatus*
 colligit ex fat luculenta *l. 242. in pr. ff. de V. S. verb. ad-*
jectamento, quâ tandem ratione *Baysius* velum majus hoc
 vocabulum interpretetur, vocatur hoc velum German:
 das Fockseegel.

XIV.

Sicut in societatibus domesticis secundum commu-
 nem Politicorum opinionem ad subsistentiam formæ cer-
 tæ requiruntur personæ : ita sanè ad bene formandam na-
 vigationem , quæ suo modo considerata nihil aliud quàm
 privata quædam societas est, diversarum personarum o-
 pus esse adminiculis, omnibus ferè constat. Et cum su-
 præ navigationem duplici ratione consideraverimus, nec
 hoc in puncto illud omitemus. Consistit igitur naviga-
 tionis pro arte acceptæ forma in eo ut plurimum, ut no-
 verit bene imperare iis personis quæ ad ipsum navigandi
 actum sunt necessariæ, navem flectere, à saxis & rupibus,
 quantam humanâ providentiâ evitari potest, avertere,
 vela ventis justo tempore dare, eademque contrahere,
 quomodo tandem, nisi obstantibus casibus fortuitis, finis
 navigationis suâ sponte sequitur, qui inter alios est, na-
 vem salvam fartam, tectam, & incolumem in portum &
 locum destinatum transferre, de quo infra. Alterò mo-
 dò, pro ipso scilicet navigandi actu, considerata naviga-
 tio, ad sustentandam formam suam requirit suas, ut modò
 diximus, personas, quarum quædam sunt extra ipsam na-
 vem, neque in ea necessariæ: quædam verò in nave & o-
 mnino necessariæ. Extra navem plerumque sunt *Exer-*
citores,

citores, qui tamen nihilominus ad navigationem imprimis maritimam maximè requiruntur, cum rarò quis propriis sumptibus propter navigationis incertitudinem *l. 6. C. de Off. Reët. prov.* indeque facile eventurum damnum navem præcipuè marinam vel exstruat, vel propter inopiam exstruere possit. Est autem *Exercitor* ad quem quotidianus navis quæstus pertinet. §. 2. *I. quod cum eo qui in alien.* paulò aliter eum definit *Ulp. in l. 1. §. 15. ff. de exerc. act.* ad quem obventiones & reditus omnes (navis sc.) perveniunt, sive is dominus navis sit, sive à domino navem per aversionem conduxerit vel ad tempus vel in perpetuum. Per aversionem autem navem is conducit qui confusè & universaliter sive mercede in semel dictà non in singulas res constitutà conducit *Gothofr. ad d. l. German: ins groß vel durch die banc & hoc præterea testantur textus in l. ult. §. ult. ff. ad L. Rhod. l. 36. l. 51. §. 1. l. 58. ff. locat.* quo sensu etiam quid emi & vænire dicitur in *l. 62. §. ult. & l. 35. §. 5. & 6. ff. de contract. empt. l. 4. §. 1. & 2. ff. de pene. & Com. rei vend.* Hujusmodi Exercitores vulgò vocantur *Reeder vel Schiffs freunde Hahn. ad Wes. de exerc. act. n. 2.* & reperitur de his integer titulus in Stat. Hamb. cujus rubrica: *Von Schiffs Reedern oder Freunden.* Et tantum de Exercitoribus. Sequuntur *Assecuratores*, qui etiam extra navem quidem ut plurimum sunt, attamen præsertim hodierno tempore ad navigationem, imprimis maritimam, multum conferunt, sunt verò illi qui præmiò sibi dato suscipiunt periculum rerum aliò transvehendarum. De quibus prolixius suo loco.

XV.

Jam de personis in ipsa nave necessariis. Imprimis hic
scien-

Sciendum est, omnes qui navis navigandæ causâ in navî sunt, generaliter nautas appellari, ut in *l. un. §. 1. ff. furt. advers. naut. & l. 1. §. 2. ff. Naut. Caup.* quamvis in hoc edicto per Nautam Prætor solummodò Exercitorem intelligat *d. §.* Speciali verò nomine in jure nostro passim veniunt, v.g. *Archigubernus* qui omnium gubernatorum Princeps vel Classis Præfectus de quo in *l. 46. ff. ad SCt. Trebell. Magister navis*, qui estis cui totius navis cura, vel (ut aliî legunt) anchora mandata est *l. 1. §. 1. ff. de exercit. act. l. 3. C. de naufrag.* neque est solùm is quem exercitor præposuit sed & quem magister, & qui scit & passus est eum in nave ministerio fungi, ipse eum imposuisse videtur *d. l. 1. §. 5.* Imponitur autem locandis navibus vel ad merces vel vectoribus conducendis vel armamentis mercibusvè emendis aut vendendis *d. l. 1. §. 3. Germ.* vocatur *der Schiffer* / de quo integer *tit. in Stat. Hamb. von Schiffen und Schiffs volcke.* Et generaliter cui præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præsumt, debent, hi magistri appellantur teste *Jcto in l. 57. ff. de V. S.* Est & *Navarchus* de quo in *l. 6. C. de Navicul.* quem eundem cum Magistro navis putat *Strach. de Naut. P. 1. n. 7.* Hunc nostrum vulgus Capitaneum aut Caput armatæ navis marinæ *Schiffs Capitain* vocat. *Peck. Comm. lib. 1. n. 1. C. de navicul. Perez. ibid. n. 7.* Est etiam *Trierarchus* qui triremibus præest *l. un. §. 1. ff. de bon. poss. ex test. mil.* Alius est *Gubernator & Proreta*, hic proræ insistit seu proræ præfectus est, ille puppi, & speciali nomine gubernator dicitur in *l. 11. §. 2. ff. de Publican.* German: *der Steuermann* / de quo *Stat. Hamb. P. 2. t. 14. von Schiffen und Schiffs volcke art. 18. 19. & seqq.* Alii sunt *Navicularii*

E græcè

græcè *Nacleri* quos *Budæus* in *l. 1. §. 3. ff. Naut. Caup.* pro navium dominis seu Patronis meritorias naves habentibus, alii aliter accipiunt, vide *Strach. de Mercat. P. 1. n. 62. & de Naut. P. 1. n. 11.* horum meminit *Caltistratus* in *l. 5. §. 3. & seqq. ff. de jur. immun. & passim L. L. in t. t. C. de Navic. seu Nacl.* Sunt etiam *ναυφίλακες* sive *Custodes navium l. 1. §. 3. ff. naut. caup. & Dietarii* quos *Gothofredus* ad *d. l. 1. lit. K.* putat, qui annonam navis administrant, *Ben. Strach.* autem de *Naut. P. 1. n. 12.* qui exponunt diætareos ministros in diætâ deserviētes. *Alciat.* legit *Dietureos*, quasi *Custodes Diætæ.* His accedunt *Lintrarii* qui sunt lintrium exercitores, lintres autem sunt naves fluviatiles quæ remis aguntur, de quibus *d. l. 1. §. 4.* Eadem *l. §. 2. de Remige & Mesonauta* fit mentio. *Remiges* sunt, qui remos agunt, & qui interdum remigandi ministerio mancipati sunt, quomodo hodie multi ex Christianis captivi apud Turcas, & vice versa ex Turcis apud Venetos in Galeis (uti vocant) ad remos catenis alligati sunt, qui *damnati ad Remos*, auff die Galeyen geschmiedete vulgò appellantur, vid. *Scheff. de mil. nav. l. 2. c. 2.* *Mesonauta* est vilis mancipii nomen *Bud. ad all. l.* sicut *mediastinus* domi, qui vilissima quæque ministeria obit *d. l. 1. §. 5. & l. fin. ff. de op. serv. Gothofr.* verò ad illam *l. 1. §. 2. ff. Naut. Caup. l. e.* *Mesonautam* explicat, qui medium locum tenet inter nautas summos & imos, summos, ut *Proretas & Gubernatores*, imos, ut *remiges*: *Aliis* estis, qui remigandi signum præbet. Et hæc sunt ea vocabula & officia illorum qui in navi versantur: Cæterum adhuc plura eorum esse nomina, ut sunt *nautæ in specie tales Bootsteuere / Scriba / Schriever / Coqus / Schiffs Koch / &c.* abundè constat ex sæpe relato *Budæi* loco: Nobis illa nomina &

na & officia, de quibus in jure nostro mentio fit, hic enumerasse sufficit.

XVI.

Finis navis est ut naviget, ad hoc enim paratur inquit *Finis*
Ulp. in l. 12. §. 1. ff. de Usufr. inde nulla culpa intelligitur, si navem tempore navigationis trans mare miseris, licet ea perierit, nisi minus idoneis hominibus eam commiseris *l. 16. §. 1. ff. de R. V.* vel si non tempore navigationis eam miseris *l. 36. in fin. ff. eod.* vel si sine gubernatore, ut est in *l. 13. §. 2. ff. locat. Ben. Strach. de Navib. P. 2. n. 6.* ex eo, quod navis ad navigandum parata sit, illam navigatum mittendam censet, licet naufragii periculum sit, quod per modo *alleg. textt.* limitatum sponte concedimus. Sed quid si duo sint navis domini, alter vellet congruo tempore ad navigandum navim navigatum mittere, alter verò mallet eam in portu manere: Et præferendum illum existimamus, qui re ad usum parata uti velit, & utiliter agere recusante socio, cum *Bart. in l. 35. §. 1. ff. locat. & facit text. in l. 25. §. 15. ff. fam. ercisc.*

XVII.

Navigationis finis triplex est: *Primus*, ut navis salva & incolumis, facta tecta que, & mediante hac personæ, merces, omnesque res vecturæ obnoxix de loco in locum transvehantur & revehantur. *Secundus*, ut apportatione mercium extranearum subveniatur indigentix humanæ, cum omnis non ferat omnia tellus. *Tertius* ut exinde tam nautæ quàm Magister & Exercitor navis, ut & multi alii, ad tolerandam vitam suam capiant commodum & lucrum.

E 2

XVIII.

Summum autem lucrum quod ex navigatione provenit est *fœnus Nauticum Tholos. syntagm. jur. l. 22. c. 3. n. 44.* Illudque nihil est aliud quam *usura lucratoria quæ solvitur pro pecunia trajectitia sive nautica Perez in C. t. de naut. fœn. n. 1. Pac. Ibid. n. 1.* Pecunia trajectitia est quæ trans mare vehitur periculo Creditoris & tamdiu libera est ab observatione communium usurarum, quamdiu navis ad portum non appulerit *l. 1. ff. & l. 1. C. de Naut. fœn.* Quia igitur hujus pecuniæ nauticæ periculum ipse Creditor contra juris regulas & naturam mutui, quibus damnum casus fortui ad dominum (qui hic est debitor, est enim mutuans) spectat *l. 6. C. de pign. act.* in se suscipit, in tantum ut & casus, antequam ad destinatum locum navis pervenit ad debitorem non pertineat *l. ult. C. de naut. fœn.* modò expressè adjectum sit ut transferatur periculo Creditoris *d. l. ult. & l. 2. C. eod.* modoque merces illicitas debitor non transportaverit quæ omnes confiscantur *l. 3. C. d. t.* aut legitimum consuetumvè navigandi usum non neglexerit sed servaverit, aliàs enim non liberatur debitor *d. l. ult. & Hahn. ad Wes. de naut. fœn. n. 2.* Hinc fit ut in hac pecuniâ gravissimam & quidem centesimam usuram permiserit *Imp. in. l. 26. §. in trajectitiis C. de Usur.* quæ pretium est periculi *l. 5. ff. de naut. fœn.* cum enim facilè fieri possit, ut amissâ nave usuras & ipsam quoque sortem amittat Creditor, æquissimum fuit ut hujus damni periculum majori lucro juxta *l. 10. ff. de R. I.* pensaretur, exactis usuris sc. centesimis, quæ, quod hic speciale est, ex pacto debentur *l. 5. in fin. & l. 7. ff. de naut. fœn.* cum tamen regulariter in stricti juris (secus enim in b. f. *l. 24. in fin. l. 25. §. 1 & l. 29. ff. de pos. l. 54. ff. locat.*

locat. l. 121. ff. de V. S.) Contractibus, cujusmodi est mutuum *arg. §. 28. I. de Act.* usuræ non debeantur citra stipulationem *l. 3. C. de usur. l. 24. ff. de P. V.* nisi lex non pacto quidem sed personæ faveat ut Civitatibus, quibus etiam ex nudo pacto usuras creditarum ab eis pecuniarum deberi vult *Paulus in l. 30. ff. de Usur.* ibiq; *Gothofr. l. o.* Hæc excusatio de modò dicta periculi susceptione licet Juri Civili obtineat non tamen facit, quò minus Jure Canonico usurarius censeatur qui naviganti mutuatur pecuniam eo quod suscepit in se periculum aliquid ultra sortem recepturus *c. ult. X. de usur.* quamvis illud de eo casu, quo prætextitur periculum ubi nullum est, vel majus quàm subest, ut lucrum majus sit ipso periculo, commodè accipi posse existimet *Perez. in C. t. de naut. fœn. n. 6. & cum eo Covarruv. lib. 3. var. c. 2. n. 5. Joan. Lupus, & Binsfeldius ad c. naviganti Fachin. lib. 2. controvers. c. 48.* Cum hac pecuniâ trajectitiâ affinitatem habet: 1. Illa quam Magister navis aut dominus mutuatur vel in totam navem, vel in partem quæ ejus est sub certis usuris, navi nihilominus aut totâ aut pro parte pro istâ pignori obligatâ, vocatur in *Stat. Hamb. Geldt auff boddemerey nehmen und außschun/* ipsumque negotium quod inter debitorem & hujusmodi creditorem agitur uno & barbaro vocabulo *Boddemerey* dicitur, de quo integer *tit. in d. Stat. 18. P. 2.* 2. Fœnus terrenum, ubi negotianti sive mercatori datur pecunia periculo Creditoris *l. 2. C. de naut. fœn.* 3. Pecunia Cambialis *Wechselgeldt/* quæ dari solet propter periculum itineris infesti pro pecunia in cambium transcriptâ *Hahn. ad Wesf. de naut. fœn. n. 2.* 4. Præmium quod datur pro suscepto periculo Assecuratoribus, inter mercatores ex latino corruptè dici hodie solitum die *Proemie.*

Effectum. Effectus navis tum demum sese exerit, quando personæ vel res in vectæ & illatæ salvæ incolumesque ad locum destinatum sunt deportatæ. Navigationis verò effectus non unus est: *Primus* cum secundo illius fine ferè idem est, hoc enim vel maximè operatur navigatio, ut humana sublevetur indigentia: *Secundus* effectus est ut propter obligationem ex ea natam producat: I. *Actiones*, quarum prima est *Exercitoria*, quæ est *actio personalis* (oritur enim ex contractu cum Magistro navis inito *l. 1. pr. ff. de exerc. act.*) certâ qualitate à Prætoze aucta (nimirum hac, quod illi qui cum Magistro navis contrahunt obligationem & actionem acquirant adversus exercitorem, secus ac Jure Civili, quo alteri per alterum non acquiritur obligatio *l. 11. ff. de O. & A.*) quâ is vel hæres ejus (*l. 4. §. 4. ff. de exerc. act.*) qui cum Magistro navis secundum præscriptam formam (*l. 1. §. 12. l. fin. ff. d. t.*) contraxit, agit adversus exercitorem ejusq; hæredem (*l. 4. §. 5. ff. eod.*) in solidum (*l. 1. §. fin. ff. eod.*) Hanc, ut & institoriam actionem (quas non tam actiones quàm qualitates actionum vocat) ipso naturali jure niti probat *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 11. n. 12. & 13.* vel ideo, quod per hominem alterum obligemur, si constet de voluntate nostrâ qua illum elegerimus. Datur, ut modò dictum, actio in exercitorem, si quid cum Magistro navis contractum sit, in eam tamen rem cui præpositus est *l. 1. §. 7. ff. de exerc. act. l. fin. ff. eod.* præpositio enim legem dat contrahentibus, extra quam si contrahant, æquum est exercitorem non teneri *d. l. §. 12.* Etiam si mulier Magistrum navi præposuerit *l. 4. C. d. t.* non enim mulier obligatur pro Magistro, ut dici possit locum esse Vellejano Scto sed per Magistrum

Pac. in

Pac. in C. d. t. Est tamen electio, utrum exercitorem an magistrum navis quis convenire velit, nam ut exercitor Prætoriâ, ita magister ex suo contractu directâ Civili tenetur *l. 1. §. 17. ff. eod.* Sed è contrario exercenti navim adversus eos, qui cum Magistro contraxerunt actionem Prætor non pollicetur, quia non eodem auxilio indiget, cum Civilibus actionibus aut ex locato, si merces intervenit, aut mandati, si non intervenit, *l. 1. in fin. ff. Mand.* adversus Magistrum agere possit. Cùm etiam hæc actio exercitoria sit ex contractu *l. 1. pr. ff. de exerc. act.* datur & in hæredes exercitoris & hæredibus, imò cùm sit rei persecutoria perpetuò competit *l. 4. §. ult. ff. eod.* Datur in solidum hæc actio, adeò ut si plures navem exercent, cum quolibet eorum in solidum agi possit *l. 1. §. fin. ff. eod.* ne in plures adversarios desstringatur, qui cum uno contraxit, quamvis hoc non adeò simpliciter procedat: aut enim omnibus navis administratio & cura in solidum pro indivisa est relicta, & omnium nomine competit actio: aut pro partibus diversis plures constituti sunt Magistri, & tunc unius tantum nomine conveniri potest exercitor, nisi hoc casu expressè sub hac conditione præpositi fuerint, ne unus absque altero contrahat, quo modò nulla datur actio adversus constituentem *l. 1. §. 14. ff. de exerc. act.* Neque facit, quò minus hæc actio suo modo in solidum detur, *l. ult. §. pen. ff. naut. caup.* Quæ unumquemque pro parte qua navem exercet conveniri vult, loquitur enim hæc de actione in factum, quæ est in duplum ex quasi delicto exercitoris, cui imputatur quod malorum hominum opera in navi utatur: Tenetur igitur quilibet exercitor ex suo quasi delicto pro sua parte juxta *d. l. ult. §. pen. ex contractu* autem Magistri in solidum juxta *d. l. 1. §. ult. ff. de exerc.*

exerc. act. quamvis Vir ille Summus & naturalis æquitas studiosissimus *Hug. Grot.* malè Rom. LL. introductum esse censeat, ut ex facto Magistri exercitores in solidum singuli tenerentur, nam hoc nec naturali æquitati convenire, quæ satis habet, si pro suis singuli partibus conveniantur, nec publicè utile esse existimat, quippè quod hoc absterrentur homines ab exercendis navibus, si metuant ne ex facto Magistri quasi in infinitum teneantur: Atque adeò apud Hollandos, vbi mercatura pridem maxime viguit & nunc & olim Legem illam Romanam observatam non esse, imò contrà constitutum, ne exercitoria etiam universi amplius teneantur quàm ad æstimationem navis & eorum quæ in navi sunt, memorat *l. 2. de I. B. & P. c. ii. §. 13.* Illud hìc non prætermittendum, si solidum ab altero exactum fuerit, cum altero agi non posse, cum enim hoc solidum rei persecutionem contineat, est actio rei persecutoria, & unius solutione omnis tollitur obligatio *l. 1. §. pen. ff. de exerc. act.* quoniam eadem res, eodem tempore sæpius alicui abesse non potest *Ias. in §. pænales I. de Act. n. 21. Bachov. tr. de act. D. 5. §. 14.* Addendum & hoc, quod, sicuti nulla in æternum societatis coitio est *l. 70. ff. pro soc. & societas eo usque manet, donec in eodem sensu perseveraverint socii §. 4. I. de societ. nemoque invitus in communione vel societate manere cogatur l. ult. Comm. divid.* Ita etiam exercitores, inter quos navis vel sine vel cum affectu societatis communis est, ideoque diverso respectu vel Communione vel Societatem contraxisse videntur *l. 34. l. 38 ff. pro soc. l. 2. ff. Com. divid. Wes. ff. pro soc. n. 1* hanc vel communionem vel Societatem in vitam pro lubitu, modò citra fraudem tertii *arg. §. 4. I. de societ.* dissolvere possunt: Et hoc in casu

casu provisum est in *Stat. Hamb. tit. von Schiffs, Redern und
Freunden artic. 1. hunc in modum*: Haben ehliche Redere ein
Schiff zusammen / und will einer von dem andern / der von dem andern
sich scheiden wil / der sol das Schiff sehen beyde gelde und tag / und der an-
der soll tiesen innerhalb 14. tagen / und also sollen sie geschieden seyn.
Tantum de actione exercitoria.

XX.

Deinde navigationis (quamvis & aliorum) causâ in-
troducitur, Edictum, *Naut. Caup. Stab.* Ex quo ad-
versus nautas h. e. exercitores, (illi enim hoc edicto isto
vocabulo veniunt *l. 1. §. 2. ff. Naut. Caup.*) duplex datur
actio: *Prima* est adversus Nautas, qui res alicujus salvas
fore receperunt, easque restituere recusant *l. 1. pr. ff. d. t.*
quæ personalis est, ex quasi contractu, rei que persecuto-
ria, ideoque in hæredem & perpetuò datur *l. 3. §. 4. ff. eod.*
Hæc autem obligatio, quæ hic ex qs. contractu seu fictâ
conventionem oritur, ex rei receptione inducitur. *Hahn.*
ad Wes. d. t. n. 5. Et receptæ res esse videntur, etsi non
expressim custodiæ ipsorum assignatæ sint, sed solum im-
missæ *l. 1. §. fin. ff. d. t.* Ipso enim factò qui immittit, testa-
tur se suaque fidei custodiæque nautæ committere *l. 1. §. 1.*
ff. eod. & is silentio suo atque exercitio quasi profitetur,
se suamque navim idoneam esse cui res fictò credantur.
Wes. ad d. t. n. 5. Ut tamen hac actione teneantur nautæ,
requiritur: 1. ut quæ tales recipiant, quia propter impro-
bitatem istiusmodi hominum reprimendam propositum
est hoc edictum *l. 3. §. 1. & 2. ff. d. t.* 2. ut ab iis revera
quid sit receptum in navem *l. 1. §. 6. eod.* Receptum au-
tem hic dupliciter dicitur *l. 1. §. ult. h. t.* 1. si res ipsis sci-
entibus assignatæ sint ad custodiendum, 2. si solum im-
missæ sint ipsis ignorantibus, quamvis posterius *gloss. 3.*
F neget,

neget, quod æquius videtur *Hahn. 3. n. 5.* Excipiuntur etiam casus, quibus nautæ ex hoc qs. contractu non obligantur: 1. Si protestati sint se nolle rem servare, & consenserunt vectores *l. ult. pr. ff. h. t.* nam si dissenserint, ex re immissa nihilominus oritur obligatio, *arg. d. l. 1. §. fin. eod.* 2. Si quidem non protestati sint, sed res immissæ casu fortuito v. g. naufragio perierint *l. 3. §. 1. Ibi. nisi quid damno fatali. h. t.* Venit porrò in hanc actionem ex qs. contractu, non tantum lata & levis, sed etiam levissima culpa, facit pro hac sententia *l. 3. §. 1. ff. h. t.* ubi *Œtus* ait, venire in hanc actionem quæ non veniunt in actionem locati, in qua regulariter culpa levis præstanda est *l. 1. §. 2. ff. Commod. 2.* oppositio inter hanc actionem, in factum, & actionem locati. 3. Quod in *d. l. 3. §. 1.* porrò dicatur teneri ex hoc edicto eum qui aliquid recepit etiam si sine culpa ejus res perierit, excepto solo casu fortuito. E. necessum teneri omnes hoc edicto, & consequenter nautam & de levissimâ culpa *Bach. in præf. ad h. t. n. 3.* Tenentur etiam nautæ de omnibus rebus receptis custodiae nomine, licet mercedem accipiant non pro custodia sed ut trajiciant vectores, quod iniquum videri non debet, cum & fullo & sarcinator custodiae nomine ex locato teneantur, quamvis non pro custodia sed pro arte & operâ mercedem accipiant *l. 5. ff. d. t.* Et hæc est prima actio ex hoc edicto.

XXI.

Altera similiter adversus Nautas datur, si ab illis quorum operâ & ministerio utuntur in navi furtum factum aliudve damnum injuriâ datum sit, quæ actio personalis est ex qs. delicto, honoraria, in factum, perpetua, & in duplum

plum ejus quod damni datum est. *l. 7. §. 1. ff. Naut. Caup.* ubi vel ideo, quod pœnalis sit, in hæredem transire negatur *§. 1. I. de perpet. & temp. act. l. iii. ff. de R. I.* Hæc tamen non est ex qs. delicto, nisi quando operâ hominum, qua usus est nauta, res immissa furto ablata vel damnum in ea datum sit *§. fin. I. de obl. ex qs. delict.* Si enim ipsius nautæ culpâ res periit aut damno affecta, is ex vero delicto tenetur, quod probatur expresso textu *d. s. ult. verb. si modo ipsius nullum est maleficium,* & idem hodiè observant *Stat. Hamb. quæ tit. von Schiffern und Schiffsvolcke/ de hoc artic. 34.* ita disponunt: *Es soll ein jeder Schiffer auff die Garnehring / Stawung der Güter / und was demselben anhengig / fleisige auffacht haben / damit des Rauffmanns Güter keinen schaden leiden mögen: Ensstunde darauß schade / oder die güter von dem Schiffer / oder Schiffvolck verringert würden / so soll der Schiffer den schaden dem Rauffmann / der denselben erlitren / von dem seinigen zu erstatten schuldig seyn / &c.* Cum hac actione convenit illa quæ proponitur in *l. un. furt. advers. naut.* quamvis in hoc differat quod in illa tantum furtum *d. l. un. pr. ff. d. t.* in hac autem etiam damnum veniat *l. 5. §. 1. l. 7. pr. ff. Naut. Caup.* Item antiqua illa *actio Oneris averse,* quæ itidem in nautam dabatur in cujus nave onus interversum aut surreptum esset, competeat etiam ob id, quicquid de casibus fortuitis convenisset, v.g. cum locator onus in se recepisset, &c. dabatur hæc conductori adversus locatorem *l. 31. ff. locat.*

XXII.

Non solum, ut modò dictum, Prætoriâ, sed & Civili actione contra exercitorem nautamvè agi potest, si enim merces intervenerit ex locato vel conducto: Et si tota navis locata sit, qui conduxit ex conducto etiam de rebus quæ defunt agere potest: Si verò res perferendas nauta

F 2

condu-

conduxit, ex locato convenietur: sed si gratis res receptæ sint, depositi agi potest *l. 3. §. 1. ff. naut. caup.* Sed cum hæ actiones ad reprimendam improbitatem hujusmodi generis hominum non sint sufficientes, Prætorix illæ inventæ sunt. Secundum mores communes etiam ob merces avehendas inter nautam vulgò *befrachteren* & mercatorem *befrachtern* actio locati conducti datur, & tenetur mercator de mercede seu vectura german: *Fracht* etiam si merces deteriores redditæ sint, modò id factum sit sine culpâ ipsius nautæ. *Stat. Hamb. tit. Von befrachtern, art. 1.* Item, res in vectæ & illatæ in navi conducta pro vectura navis tacitè sunt obligatæ *Strach. Tr. de Nav. ibiq. Dd. alleg. cum quo conveniunt Stat. Hamb. art. 2. d. t.* Qui etiam navim totam conduxit, neque mercibus implet, de tota tenetur vecturâ, *art. 3. d. t.* idem juris & de parte navis conducta *art. ult. d. t.* Neque solummodò iis, quorum res in navim receptæ sunt, datur adversus exercitorem actio, sed & ipsi exercenti, non quidem adversus eos qui cum Magistro contraxerunt, sed adversus Magistrum competunt actiones Civiles, aut ex locato si merces interierint, aut mandati si non interierint *l. 1. in fin. ff. Mand. l. 1. §. 18. ff. de exerc. act.* Quamvis exercitori extra ordinem aliquando succurri posse testetur *d. l. 1 §. 18. quod Bachov. ad Wes. d. t. n. 6.* de succursu per modum restitutionis, ubi Magister non est solvendo, intelligit, à quo tamen dissentit, *Hahn. d. l.* qui vix hic accommodari posse restitutionis terminos autumat, ideoque putat succurri per implorationem officii Judicis *arg. l. 7. ff. Mand. l. 17. ff. de reb. cred. arg. l. 2. ff. de instit. act.* adeoque tunc demum teneri exercitorem, quando Magistratus hoc nomine fuerit imploratus, non ipso jure: quod Prætor nō possit tollere.

tollere Jus Civile directò sed per circuitiõnem, si coram
eo querela interponatur de Civilis juris iniquitate *arg. l.*
7. §. 1. ff. de I. & I. hactenus Hahn.

XXIII.

Effectus navigationis etiam in eo se non parùm osten-
dit, quod navibus & nautis nonnulla præ aliis concessa
sint privilegia. Navi servitutum imponi non posse, ut,
cum portui se applicuerit, merces meas semper deferat,
& illis oneretur, acriter defendit *Stracha de Navib. P. 2.*
n. 20. Nonnullas quoque naves, quibus Potentiorum in-
signia & tituli affixi fuere, à publicâ necessitate, id est, one-
ribus publicis, necessariâ profectiõne, & transvectione
publicæ annonæ excusatas fuisse, satis colligitur ex *l. 1. C.*
de Nav. non excus. Principem enim navem ab his exime-
re posse quis dubitat? vide *Perez ad d. t. n. 6.* Item quas-
dam à vectigali permisso Principis exemptas esse, testatur
experientia & *Perez in C. d. t. n. 8.*

XXIV.

Nautæ quoque qui in Classibus sunt, uti, Remiges, Vi-
giles, Navarchæ & Trierarchæ, habent sua privilegia:
Gaudent enim iisdem cum aliis militibus beneficiis in *te-*
stamentis ordinandis l. un. §. 1. ff. de bon. poss. ex test. mil.
ratio ibi additur, quia in classibus hi omnes milites sunt:
militibus autem multa circa testamentum concessa esse
privilegia satis superque constat ex *t. t. ff. I. & C. de testam.*
mil. tum etiam *Recess. Imp. de Anno 1512. tit. von Testamen-*
ten §. 2. Excusantur etiam à muneribus publicis Navicu-
larii, qui annonæ urbis serviunt, cum non sit alienum di-
cere, etiam hos Reip. causâ, dum annonæ urbis serviunt,

abesse l. 5. §. 3. 4. & 5. ff. de jur. immun. Singularis etiam his Naviculariis debetur securitas l. nullam vim 3. C. de navicular. Rapina, quæ illis fit gravius quam alias & quidem quadrupli poena coercetur l. 5. C. eod. Illi verò Navicularii, qui magnam partem patrimonii navigationi contulerunt intra quinquennium muneris publici vacationem habent l. 5. ff. de Muner. Licet & Naviculariis suum habere Collegium l. 1. pr. ff. quod cujuscunque univers. l. pen. in fin. ff. de jur. immun. Imò hodiè adhuc aliquod quasi corpus naviculariorum esse, cujus Caput Capitaneum vel Admiralem vulgus vocat, affirmat Perez. in C. t. de Navicul. n. 7. per l. 1. C. d. t. & l. 3. cum 8. C. de Vectigal. non absimilia huic sunt Collegia Nautarum, quæ passim in Civitatibus mari adjacentibus instituuntur, vulgò Schiffer-Gesellschaft/ de quo videre est in Stat. Hamb. tit. von Schiffern und Schiffsvolcke artic. 25.

XXV.

Porrò navigationis effectus in eo est ut nautæ merces in navi corrumpentes, bonis putrefactas commiscendo, vel v. g. aquas vino affundendo, graviter puniantur O. R. de Anno 1500. von den Fuhrleuten der Weine/ Reform. Pol. de Anno 1548. tit. von den Schiffern und Fuhrleuten. Policey-Ord. de Anno 1577. tit. eod. Ultimus denique effectus in hoc consistit, quod nauta cogi possit navigare, æquè ac hospes hospites recipere postquam hospitium aperuit. Bart. in l. 1. §. 1. ff. Naut. Caup. Est enim juris manifesti navim navigatum mittendam esse licèt naufragii periculum sit, navis quippe ad hoc paratur ut naviget, non ut in portu hæreat l. 12. ff. de usufr. vide Strach. de Naut. P. 3. Idcoque curare debent Judices ut nautæ vento prosperò
navi-

navigationem suscipiant, & si eam detrectent, eos omnino compellant & abigant, ubi causa publica urget *Perez in C. de Navicul. n. 38.* Neque suprâ dictis obstat quod in *l. 1. §. 1. ff. Naut. Caup.* dicitur in eorum arbitrio esse ne quem recipiant, illud enim accipiendum de eo, antequam excipere cœperunt, postea non item, ut notat *Bart. in l. un. ff. furt. advers. naut. l. 3. §. 1. ff. de Receptis.*

C L A S S I S III.

Classis III.

Continens

Navis & Navigationis Affectiones, Affinia, Concomitantia & Contraria.

T H E S I S I.

Navis & Navigationis pro actu sumptæ (ipsa enim *Affectiones & Affinia* ars navicularia hujusmodi non patitur) affectiones sunt: quod aliquando vendantur & emantur *l. 36. ff. de Evict.* Conducantur & locentur *l. 13. §. 1. ff. locat.* Legentur, & tum ipsa navis *l. 88. §. 2. ff. de legat. 3.* tum ejus ususfructus *l. 12. §. 1. ff. de usufr. l. 10. §. 1 & 7. ff. quib. mod. usufr.* Porrò naui nihil tam affine est quàm Currus, sicut enim illâ in aquis, ita hoc in terrâ utimur, hinc Veteres ipsam navem aliquando currum appellasse suprâ *θ. 3. Cl. I. ex Scheff. de mil. nav.* monuimus. Inde sponte sequitur cum navigatione vecturam illam terrestrem maximam habere communionem, æquè ac foenus nauticum cum terreno suprâ diximus.

II.

Concomitantia Navis & Navigationis hodiè solent esse: *Vectigal, Assescuratio & Jus stapule.* *Concomitantia*

III. Ori-

i. Vectigal.

Origo & institutio vectigalium inde coepit, quod viarum regiarum, maris & fluminum tutela protectiove Reip. incumbat. *Hahn. ad Wes. tit. de publ. n. 4.* Ille autem non donat qui necessariis oneribus succurrit *l. 21. ff. de donat. int. vir. & uxor.* quare qui recepto in se onere tuendæ navigationis juvandæque per ignes nocturnos & brevium signa vectigal æquum imposuerit navigantibus, nec contra jus Naturæ nec Gentium faciet *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 3. §. 14.* modò onus hoc ad illas merces prætereuntes aliquem habeat respectum, aliàs enim illud mercibus istis imponi nulla æquitas patitur. *Idem l. 2. c. 2. §. 14.* Multò minùs ipsum jus constituendi vectigalia Juri Civili & Statutis Imperii refragatur. Et cum Vectigal propriè sit *quod fisco vel Reip penditur tantum portorii nomine e pro mercibus quæ invehuntur & evehuntur in itinere vel pontis transitu,* Germ: *Zoll* *Hahn. d. t. n. 2.* imprimis sciendum illud non posse institui nisi ab eo, qui hoc jus Majestatis habet *l. 10. ff. de Publican.* unde non immeritò vectigalia, quæ vulgò telonia appellantur, Regalibus annumerantur 2. *Feud quæ sint regal.* Neque obstat quod aliquando ad Imperatoris Fiscum pertinere dicantur, ut in *l. 6. C. de Vectigal. & l. 17. §. 1. ff. de V. S.* hac enim ratione vectigalia non sunt de Regalibus Majestatis, sed de Regalibus Fisci *Bocer. de Regal. l. 2. n. 183.* Hic verò Majestatis Regalibus vectigalia apponimus quod ad potestatem tribuendi Principi, Comiti, Baroni, Nobili aut Reip. alicui jus exigendi vectigal, quippe cum hanc potestatem solus Imperator concedere possit, non alius quisquam *l. 10. ff. de publican l. 2. & t. t. C. vectig. nov. instit.* Et ita quidem sentiunt Legistæ: Quorum incogi-

cogitantiam miratur *Lampad. de Rep. Rom. Germ P. 3. c. 14. §. 17.* & eos in cassum laborare ait *Hypp. à Lap. P. 1. c. 15.* qui solum Imperatorem nova vectigalia erigere vel aliis permodum privilegii erigendi vectigalia licentiam concedere, nostroque adhuc tempore vectigalia ad jura Imperatoris pertinere statuunt, quamvis enim comitiis non subsint, non tamen soli Cæsari, sed Cæsari & Electoribus simul competit vectigalia instituire, & instituta augere. *Capit. Ferdinand. II. §. 3. Mayst: solten vnd wolten. & §. Und wåhre es sache. Recess. Imp. de Anno 1521. §. Weiter als wir jcho. & de Anno 1576. §. Weiters seind wir auch.* Hæc tamen *d. Capit.* verba de non lædendis Electorum juribus circa vectigalia minimè in tantum sunt extendenda, ut libera sit Cæsari facultas derogandi reliquorum Principum vectigalibus: Utique enim illis per Capitulationes cautum est universali illâ promissione de Principum: liorūque Ordinum juribus haud minuendis; Nec enim immunitates à vectigalibus Principum possunt temere cuiquam concedi citra jurium bonorumque Principum detrimentum: Soliti quidem sunt jam aliquot seculis immunitates à vectigalibus solvendis Cæsares concedere, potueruntque id ipsum jure optimo: Verum enim verò, erant tum temporis vectigalia omnia vel certè potissima quæque in patrimonio publico Imperii, atque adeò quædantenus solis Cæsaribus propria; Hodie verò longè dispar est ratio, quoniam vectigalia omnia in privatam possessionem Ord. Imp. concesserunt, quem in modum differit Summus ille Politicus *Hermann. Conring. in M. S. ad Lampad.* mox in lucem prodituris. Et sanè, cum nihil in Civilis Prudentiæ parte (teste *Lampad. P. 3. c. 11. §. 19.*) possit fieri, inconcinnius, quàm Cæsaream po-

G

testa-

restatem ex Digestorum & Codicis Legibus definire, non est, quare majorem hac in parte Juri privato quàm publico auctoritatem attribuamus.

IV.

Licet verò Statuta seu Recessus Imperii in ipsà Vectigalis constitutione prævaleant, tamen Jus Civile privatum à vectigalibus non adeò est alienum, ut ibi nihil loci reperiat. Certè enim quantitas cujusq; vectigalis præstandi definitur in LL. Fuit illa Olim quidem octava pars ejus rei, pro qua vectigalis solutio fit, & quæ exportantur vel importantur *l. 7. C. de Vectig. l. 2. C. de Eunuch.* Fuit etiam quondam vicesima hæreditatum & eorum qui manumittebantur *l. fin. C. de Edict. D. Hadrian.* Imò quinquagesima, tandem etiam Centesima *Cujac. obs. 6. c. 28.* Verùm cum in omnibus Vectigalibus consuetudo sit spectanda maximè *l. 4. §. fin. ff. de Publican.* hodiè talis est, ut ferè passim à vectigalis octavà sit recessum, & plerumq; minus solvatur *Hahn. ad Wes. h. t. de Publican. n. 5.* Neque solum quantitatem sed & personas & res præstationi vectigalis obnoxias Juris Civilis recensent textus: De personis regula generalis est, quod quilibet ad vectigaliū præstationem teneatur *l. 6. & 7. C. de Vectigal.* nisi propter speciale quoddam privilegium excipiatur: Excipitur autem: 1. Fiscus *l. 5. C. d. t. l. 9. §. fin. ff. de Publican.* 2. Navicularii annonæ servientes *l. 5. §. 3. ff. de jur. immun. l. 9. in fin. C. de Vectigal.* 3. Præsides Provinciarum, Principes, Camera Parlamentorū Consilarii, Assessores, Fiscales, Senatorii & similes O. R. In Aufburg de Anno 1500. §. Item, sollen Chur. Fürsten *Hahn. t. de Publican. n. 4.* nec non legati externarum gentium, quamvis non simpli-

simpliciter per distinguentē *l. 8. C. de Vectigal. 4. Hospitalia, Ecclesiasticæ personæ, & ipsæ Ecclesiæ in rebus propriis, in quibus nulla exercetur negotiatio c. quanquam de Censibus in 6. Professores Academiarum, & omnes qui literis dant operam in Academiis, earumque membra, ratione librorum aliarumque rerum propriarum quas habent studiorum causâ, arg. Auth. habita C. ne fil. pro patr. Rebuff. de privileg. Schol. priv. 146. n. 1. & 2. Perez. de ju. publ. p. m. 104. 5. Aulæ Domestici & qui militiam sequuntur & officiis annexam habent dignitatem & Nobiles omnes. Idem cit. loc. Has tamen prædictas personas privilegiatas immunitas non liberat à rerum professione, sed ad poenam evitandam eas profiteri tenentur *l. 4. §. 1. l. fin. §. 3. ff. de Publican.* quo nomine tutum videtur, ut istiusmodi personæ secum habeant schedulas immunitatis, Paß oder Freyzeuel. *Hahn. d. t.* Tantum de personis.*

V.

De rebus inspicienda est maximè consuetudo, nam earum rerum vectigal non præstatur pro quibus non est consuetum præstari *l. 9. §. 6. ff. de Publican.* Præstatur autem regulariter pro iis rebus quæ invehuntur aut evehuntur, vel importantur aut exportantur *Wes. d. t. n. 2:* idque negotiationis causâ: Nam 1. excipiuntur cæres, quæ proprii usus causâ invehuntur, de quibus jure Civili vectigal non datur *l. 5. C. de Vectigal.* quod tamen moribus non observatur: 2. Quæ ruris exercendi gratiâ vehuntur *d. l. 5.* 3. Res exercitui paratæ *l. 9. §. 7. ff. de Publican.* ut sc. ex hac ratione ad commeatum castrensem excitentur mercatores *Hahn. d. t. n. 6.* adde *Recess. Imp.*

de Anno 1530. §. Ferner ist für gut angesehen & *de Anno 1532.*
 §. Und nach dem die hohe. 4. Navis quæ hostium vel piratarum
 timore portui alicui se applicuit, ibi vectigal non debet
 Dd. in l. fin. §. 8. ff. de Publican. Strach. de navib. P. 2.
 n. 26. Cæterum qui hoc privilegium exemptionis neque
 ratione personarum neque rerum habent, vectigal sub
 pœna commissi solvere tenentur, quæ res commissæ fisco
 vendicantur l. 14. l. fin. §. 12. ff. de Publican. Reces. Imp.
de Anno 1530. §. Wiewol auch die Abschiede. Excipiuntur ta-
 men nonnulli casus, ubi etiam propter non solum ve-
 ctigal res non incidit in Commissum: 1. Si pupilli non
 statim solverint, modò tamen intra 30. dies vectigal sol-
 vant, l. 7. §. 1. ff. de Public. 2. Si minores nõ solverint l. 16.
 §. 9. ff. eod. 3. Si dolus absit, & ignorantia sive errore
 probabili vectigal non fuerit solutum, quo casu tamen
 pœna est duplum Vectigalis, ein gedoppelter Zoll d. l. 16. §. 10.
 Cui non contrariatur d. l. §. 5. ubi quis incidere dicitur
 in pœnam vectigalis (commissi sc.) etiamsi se ignorasse
 asserat, nam restringendus est d. §. 5. ad errorem non
 probabilem Hahn. d. l. 4. Si professus quis sit vectigal, &
 ipsi hoc remissum sit, sive Publicanus non exegerit d. l. 16.
 §. 12. 5. Si intra quinquennium Publicanus res commis-
 sas non vindicaverit, aut si post illud tempus sine dolo
 malo perierit l. 2. C. de Vectigal. 6. Si ob adversam tem-
 pestatem onus exponitur d. l. 19. §. 8. 7. Si absit Publi-
 canus, & ideo quis deposuerit vectigal arg. d. l. §. 3. 8. Si
 illicitè instituta & injusta sint vectigalia, tum enim, quod
 exactum, injuriam passis cum altero tanto exsolvi debet
 l. 9. §. 5. ff. de Publican. l. 3. C. vectig. nov. inst. non poss.
 9. Si militares personæ sint l. 3. C. de Vectigal. quibus tamen
 ipsum portorium non remittitur l. 7. C. eod. 10. Si socius
 rem

rem communem etiam consensu & voluntate socii non profiteatur, quod ad partem illam socii. *l. 8. in fin. ff. de Publican.* Vide plura apud *Richt. in Comm. ad Auth. habita, C. ne fil. pro patr. disp. 3. p. 44. Carpz. P. 4. C. 41. D. fin.* Omittimus jam hinc quæstionem illam non ita pridem in Illustri hac Academia publicè agitatam, utrum res commissæ sint periculo dominian verò vectoris, actum enim ne agere videamur, tantum de vectigalibus *παροργιας* nos dixisse sufficiat.

VI.

Sequitur jam alterum ex Concomitantibus, nempe ^{2. Assicura-}
Assecuratio: Quæ est, Conventio (Hahn. ad Wes. t. de P. V. n. 4.) Contractus (Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 12. §. 23.) avertendi periculi, seu, quo quis præmio sibi dato suscipit periculum rerum aliò transvehendarum. Paulò accuratior & plenior videtur esse definitio *Ben. Strach. de Assetur. p. m. 37. n. 46. Assecuratio est alienarum rerum sive mari sive terrâ exportandarum periculi susceptio certò constituto pretio: & consequenter hi sunt Assecuratores qui alienarum rerum sive mari sive terrâ exportandarum certo pretiò constituto seu receptò periculum suscipiunt: Etsi enim suscipi gratis queat, ubi similis est qs. gratuitæ donationi, communiter tamen fit pro præmio aliquo. Hahn. cit. loc.* Hæc conventio societati civili non solùm valde est utilis, quod mercatores ita audeant merces suas ex uno loco ad alium transportare majori cum securitate; verùm etiam justa & licita: Tùm ex conditionibus ipsi cum contractibus aliis, præcipuè innominatis, communibus, potest enim quis ex pacto periculum in se suscipere *l. 7. §. 15. ff. de pact. & quod quis stipulari possit.*

possit affecurationem ab alio est *textus in l. 10. ff. de V. O.* susceptio namque periculi non reddit conventionem illicitam, nisi aliàs sit illicita, ut patet ex *c. fin. X. de Usur.* & in multis contractibus liquet, ut *in l. 31. ff. locat. l. 36. ff. eod. & d. l. 7 §. 15. ff. de pact. l. 39. ff. Mand. l. 1. & 10. ff. de peric. & Com. rei vend.* quibus adde *Strach. de Affec. p. m. 34. n. 44. & Dd. ibi allegat.* Tum etiam 1. quod præmium sit æquale periculo quod suscipitur tempore contractus, & ex communi æstimatione petendum est. 2. Semper sit de damno sub ratione incerti, omnino enim nullus erit hic contractus, si contrahentium alter, rem, de qua agitur, aut salvam, quò destinabatur, pervenisse, aut periisse sciverit, idque non tantum ob paritatem, quam exigit contractuum permutatoriorum natura, sed quia propria materia hujus contractus est damnum sub ratione incerti *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 12. §. 23.* Porrò cum modò Affecurationem Contractum nominaverimus, sciendum eum inter innominatos à *Dd. referri*, consentit *Bald. in l. 1. n. 4. C. de Sum. Trinit. Strach. de Affecur. Hahn. adt. de P. V. n. 4. Petr. Saturn. de Affec. Lesf. c. 28. d. 4.* sed quia variæ contractuum innominatorum sunt species *l. 5. ff. de P. V. t. t. de æstim. & t. t. de Rer. permut.* Affecuratio ex parte dantis est contractus innominatus do ut facias, ex parte facientis verò, facio ut des, suscipio enim periculum ut des, & tu das præmium ut ego periculum sustineam *Strach. d. loc.*

VII.

Cæterùm Affecurationis Contractus inter quoscunq; fieri potest, quibus cum commercium est licitum, ideoq; inter Christianos & Judæos, cū quibus regulariter omnis
contra-

contractus omneque commercium est permissum (illis tantum exceptis quæ expressè reperiuntur prohibita) c. 14. c. 16. X. de Juda. assecurationem esse licitam, non est quod dubitemus. Præterea obtinet hic contractus maximè in mercibus maritimis transvehendis propter frequens & ingens periculum, ista tamen ut generalis promissio de omnis generis mercibus nõ trahatur ad merces illicitas, cum in illis nullum sit commercium §. 2. I. de inult. stip. Strach. de Assec. p. m. 86. n. 2. non obstante l. 1. §. 1. ff. de legat. præstand. neque eo, quod verba sint universalial. 61. ff. de legat. 3. l. fin. C. sine cens. vel. reliq. c. 6. X. de Maj. & oboed. Alioqui pluribus modis fit Assecuratio: 1. Propter res per mare transferendas. 2. Ob pecuniam vel res alias terrâ de loco ad locum. 3. Ob liberum transitum per loca infesta. 4. Ob vitam. 5. Uti merces assecurari possunt, ita & lucrum in nundinis. Imò 6 personas tempore belli de loco in locum assecurari, quis non ex quotidiana didicit experientia?

VIII.

Tandem ad meliorem Assecurationis cognitionem plurimum facit introspectio ipsius assecurandi formulæ, qualis in utraque Latina & Italica linguâ extat apud Strach. de Assec. p. m. 67. Sed cum illa à stylo hodierno inter mercatores usitato non nihil videatur recedere, placuit aliam inter Negotiatores hodie frequentatissimam in vernacula huc transcribere: Wir Asseureurs hierunter gezeichnet geloben und verobligiren uns zu versichern / und versichern auch hiemit an Euch N. N. Kauffmann in N. nemlich ein jeder von uns die Summa durch ihn hierunter specificiret von dieser Statt N. nach N. auff (si navis vel tota vel pro parte fuerit assecurata) das ganze Schiffs holz / vel, das halbe Schiff / vel ein Achte part Schiffs / mit Masten /

Masten/Seegels/Anckers/Towen/Tabels/victualien/ammunitie, und
 aller anderen zuehör: Nehmen wir Assureurs demnach auff uns al-
 len schaden und unglück / sampt allen schon erdacht und noch erdenckl.
 actionen und prætionen / auff was weise gemeltes (ganke / halbe/
 achte part) Schiffs und zuehör / solche von den Türcken / es sey wegen
 brandes oder strandes / oder wegen derer anderer gefahr und ungelegen-
 heit einiger massen möchte überkommen (vel si persona assicurata fue-
 rit) auff ewern Leib und Person / nehmende auff uns allen schaden und
 unglück / sampt aller schon erdacht und noch erdenckliche actionen und
 prætionen / auff was weise ihr geassurirter an ewern Leibe und Per-
 son solche von den Türcken und Mohren / und wegen derer gefahr und
 ungelegenheit einiger massen möchten überkommen (vel si, quod regula-
 riter, merces assurentur, repetantur verba priora usque ad primam
 parenthesin & pergatur) So daß auch der Schiffer unterwegs und al-
 lezeit mag escoulire / seegeln / verssegen / ligen lassen / und laden / nach
 seinem belieben / und gutbefinden / es sey mit oder ohne wissen des geassu-
 rirten / und daß nemlich auff allerhand Waaren und Kauffmannschafft-
 ten / wie die namen haben und beschaffen seyn mögen / verderbliche oder
 unverderbliche / freye oder unfreye / keine überall außgesondert / all wer es
 auch / daß solche vermöge der Ordonnancen allhier müssen gespecificirt
 werden / E. L. ins geheel oder nur zum theil zugehörig / oder jemand an-
 ders / freye oder unfreye Personen / geladen oder noch zu laden / ins schiff /
 das Gott bewahr / genant N. darauff Schiffer ist N. N. oder jemand
 anders / so darauff für N. oder Schiffer mag fahren / frey oder unfrey
 Person. Gehende jetzt gedachte Waaren und Kauffmannschafften ge-
 conlignirt nach laut der cognoscementen / welche / so sie dieser Police
 nicht gleichlautend e / oder keine darüber gezeichnet weren / soll solches im
 verlust / oder schadensfall / den Gott abwende / dieser assurance in nichts
 præjudicirn noch hinderlich seyn. Und mit unserm und der Assurir-
 ten consens werden mehrbesagte Güter und Waaren taxirt auff N.
 Marcck Lübisck / es sey gleich / ob solche mehr oder minder kosten oder wür-
 dig seyn / also daß der geassurirter in cal. von schaden / so Gott verbüte /
 einige andere rechnung oder beweiß zubringen ungehalten seyn / sonder es
 alsdann bey diesem Taxt verbleiben soll. Contentiren / daß ihr mö-
 get lassen vollkömlich versichern / sondern gehalten zuseyn die zehen pro
 Centum, oder einige andere rischio zu lauffen / obschon die Ordonnancen
 von

von Assurancen anderst lauten. Nehmende wir Assureurs auff uns
 allen schaden und unglück / sampt alle schon erdacht / und noch erdenck-
 liche actionen und præsentionen / von weme und auff was weise vorge-
 melte Güter und Waaren solche einiger massen möchten überkommen /
 ob schon das unglück sich würde verursachen durch faute oder versäum-
 niß des Schiffers oder seines Schiffs / volcks. Uns also von allem
 zu allen freywillig stellende in E. L. plaerse / umb E. L. in allem fall noth-
 und schadlos zu halten / alles auff gute und böse Zeitung. Welchen
 Rysick wir tragen und auff uns nehmen / von dem Tag und Stunde an
 da dieselbe Waaren und Kauffmanschaften geladen und geschiffte seyn /
 umb dieselbe an boort des Schiffes zu führen und darein zu laden / und
 dieses soll wehren bis zu der zeit da dasselbe Schiff in obgemelten Haven
 N. sey angelanget / und dieselbige Waaren in guter behaltnuß ans Land
 geliefert seyn / sonder einigen schaden / und vergönnen hiemit / daß das
 Schiff so die Reyse thut / soll mögen seegelen / vor / und hinderwerts / zur
 rechte / und lincen seilen / und auff alle manieren fortfahren / oder bleiben
 anckern in solche Haven / die dem Meister / Capitain oder Pilote desselben
 Schiffs gut düncken werden. In welcherer versicherung wir Assureurs
 zuforderst tragen alle pericul der See / von Fehr / von Winden / von
 Freunden und Feinden / von Driesen / von Marcque oder Contra-
 Marcque, von Arresten oder auffhaltungen / von Königen / Princken / und
 was es vor Herren seyn mögen. Auch von verenderung der resolution
 und andersinnes des Meesters / Schiffers / und generaliter von allen an-
 dern periculen und fortune, die da auff einige manier sich solten zutra-
 gen / oder die man solte bedencken mögen. Wir stellen uns von allem
 zu allem in die plaerse der selbst / geassurirten N. N. umb die zu befriedi-
 gen und von allem verlust schadeloß zu halten / wie auch im gleichen von
 allen schaden so geschehen mögen / und daferne es anders als wohl / das
 Gott verhüte / mit gedachten Waaren außschlagen solte / geloben wir und
 obligieren uns alsdan zu bezahlen / und zu erstatten Euch oder Bringern
 dieses alle den verlust und schaden / so ihr erlitten habet / derogestalt / daß
 ihr ewre obengezeichnete Summa bey einem jeden so von uns unterge-
 zeichnet / so wol bey dem ersten als letzten / zu fodern befugt seyn solt / wir
 aber hingegen innerhalb zween nechst folgende Monaten / nach dem uns
 gebührl. bericht und intimation des erlittenen schadens und verlust gege-
 ben / denselben ersen und bessern wollen. Und deswegen geben wir
 H und

und ein jeder von uns macht und sonderbahre befehl an Euch selbst, assure oder Ewre Committirten / so wol unsers schadens als profits handhabungs halber / der salvirung dieser Waaren so viel möglich zu beneficiren / geloben hergegen alle zu solcher salvirung geschossene kosten und unkosten in allem fall wider zu bezahlen / unangesehen wir sie davon wider bekommen oder nicht. Hiemit vollkommenen Glauben / Treuen Credit der Rechnung und Personen so die vor, und unkosten gethan haben / zustellende / und bekennen dieser Assurances prämie wegen eigenhändig von denen Assurirten bezahlt zuseyn / gerechnet gegen N. pro Centum. Alles ohne gefehrde und arge list. Hierinn haltende die Form und Coustume der Antwerpischen Börse / welcher wir uns submittiren und im gegentheile von dero nit abweichen. Worzu wir dann alle unsere Haab und Güter verpfänden / und bey guter treu und glauben / und gleich an Eydes statt / allen exceptionen / Cavillationen / so gegenwertiger Assurances zuwiedern / besser massen und gänzlich renunciren / So geschehen N. N. Et ita quidem plurimis in Emporiis consuetudo obtinet, Hamburgenses verò annectere solent clausulam omni juri, præter statutarium suum, renunciantem: Renuncierende zum Effect allen von Assurances zu Antwerpen gemachten ordinantien / wie auch allen andern ordinantien / Statuten und Placaten dieser Police zu wider lauffende / und so einige differentien und zwistigkeiten vorfielen / seyn die Parteyen zufrieden sich dreyer unparteyischen Kaufleute der Börse judicio und wolbedüncken zu submittiren / und was dieselbe oder zweien von ihnen hierinn vor gut / billich / gerecht erachten werden / soll von den Parteyen in gleichmäßigen würden gehalten seyn / als wann es von einem Hochlöbl: Käyserl: Cammergericht zu Speyer gesprochen were / derogestalt daß die Parteyen deswegen einem oder andern gericht: zu belangen nicht befugt seyn sollen / Alles bey guter Treu und Glauben / sonder gefehrde und arge list.

IX.

3. Ius Stapula.

Tertium & ultimum ex Concomitantibus Navis & Navigationis *Ius Stapula* esse supra diximus: Hoc jus licet primà fronte intuenti juri Gentium maximè repugna-

pugnare videatur, quippe quod uni cuique liberum commerciorum usum liberamque negotiandi potestatem concedit *l. 5. ff. de J. & J.* è contrario nemini dat facultatem prohibendi, quò minus quæque gens cum quavis gente remota & sepositâ commercium exercent, hoc enim ut permittatur inter est societatis humanæ nec cuiquam damno illud cedit *Grot. de J. B. & P. 1. 2. c. 2. §. 13.* Unde flumina & viæ publicæ communi omnium usui sunt expositæ *§. 2. & 4. J. de R. D. l. 4. §. & l. 5. pr. ff. eod. l. 24. pr. ff. de dan. inf. t. t. ff. de Flum. t. t. ff. nequid in flum. t. t. ff. rip. mun.* Veruntamen sicut hodiernis temporibus harum rerum olim omnibus communium usu coarctato dominium in eas sibi acquisivere Reges & Principes, suisque Regalibus annumeravere *2. Feud. c. un. quæ sint Regal.* ita non minus Domini terrarum & Civitates per se ipsas regentes datia & gabellas aliaque similia hodiernum imponunt, & imponere possunt, stationesque invehendarum mercium constituunt *Elbert. Leonin Cens. 67. n. 2.* Inde fit ut viarum publicarum, fluminum, & commerciorum libertas non parum constringatur, idque tum per vectigalia & ripatica h. e. portoria quæ solvuntur à ripam transeuntibus, tum per privilegium multis locis de exponendis ibi mercibus quæsitum, aliisque plenam navigandi mercesque prætervehendi potestatem denegatam, quod vulgò *ius stapulæ* seu *appulsus* Das Recht der Niederlage oder Staffeltgerechtigkeit nuncupatur *Zepp. Tr. noviss. de Iur. stap.* Et teste *Salmasio* ab antiquo verbo Gotho-Teutonico *Stapeln* quod est in cumulum seu acervum erigere derivatur. Estque hoc jus ab Emporiis Hanseaticis in consuetudinem traductum, quorum hoc verbum *Stapeln* est proprium, quatenus ni-

mirum usitatam hanc modernis temporibus spectare velimus denominationem, nam quod rem ipsam attinet ea apud priscos Græcos crescente mercaturâ jamdudum in usu fuit.

X.

Definitur autem hoc Jus stapularum à *Zep. d. tract. Privilegium seu potestas merces aliunde invectas ab instituto cursu retrahendi, & in suo foro sistendi, singulari beneficio certis Civitatibus competens.* Hoc jus singulare nemo sibi propria potest authoritate constituere, sed certis illud modis fieri debet: veluti speciali Superioris concessionem, aut præscriptionem immemoriali, aut pactis liberarum Civitatum. Hodie in Imperio nostro Romano Germanico Imperator stapulas instituit, quod jus inter alia ad supremam ipsius potestatem, dignitatem, præminentiam & *Reservata Casarea Känserl: Hochheiten und Reservaten* pertinere docet *Philipp. Knipschilde. de Jur. Civ. Imp. l. 2. c. 4. n. 24. Lymnaeus de Jur. publ. Hypp. à Lap. P. 1. c. 16. Perez de Jur. publ. p. m. 315. Lampad. de Rep. Rom Germ. P. 3. c. 14.* Deinde *Ius stapulae* firmatur præscriptionem memoriam hominum excedente, vel longissimâ consuetudine & usu: immemorialis enim præscriptio vim obtinet legitimi tituli, habetque potestatem privilegii & concessionis Principis *c. X. de V. S.* quare non & hoc jus conferat? si modò sit continua non interrupta nec ei per contrariam observantiam vel abusum privilegii sit contraventum *arg. l. 1. & 2. C. de præscr. long. temp.* Possunt insuper etiam liberæ Resp: ad urbium suarum & commerciorum incrementum de mercibus non aliò quàm in suum forum & emporium transportandis

dis

dis pacisci aut legem condere *Zepp. d. tr.* Ex prædictis titulis & quidem specialis concessionis vel præscriptionis immemorialis insigniores Civitates tam extra quàm intra Imp. Rom. Germ. hoc singulare jus stapularum sibi quæsierunt: Extra imperium Rom. Germ. nihil est celebrius ipsâ *stapula Londinensi* *Der Engeltische Stapel zu London/* in Imperio verò hoc nomine præ reliquis celebres sunt nonnullæ Civitates, veluti: ad Danubium Ratisbona, Ingolstadium, Patavium: ad Visurgim, Brema: ad Albim Magdeburgum & Hamburgum: ad Rhenum Colonia Ubiorum & Spira. Cæterum habet hoc privilegium stapulæ suos gradus & aliquando plenius jus, aliquando minus plenum continet: Quædam enim Civitates eo tantummodò fruuntur, ut merces certo tantum tempore venum exponantur, quo elapso exsolutis vectigalibus merces ad alium locum transferre licet. Ejusmodi stapulam habet Atrebatum, Arthesia, Middelburgum, & Zelandia. Quædam loca nullam vendendi sed solummodò merces ibi exonerandi & vectigal solvendi exigunt necessitatem, quales sunt modò enumeratæ urbes ad Rhenum, de quibus vide *Lehmann. in Chron. Spirens. l. 4. c. 22.* & *Wehneri in Obs. Pract. verb. Staffelgerechtigkeit* cum quibus congruunt privilegia Dordrechtensium in Hollandia de vinis Rhenanis Rhenum vel Mosam tranvehendis. Denique quædam urbes liberum alicui relinquunt, non verò tanquam necessarium imponunt, utrum quis velit merces ibi deponere, an verò ad venditionem liberam easdem servare.

XI.

Differt *jus stapulæ*: 1. à jure *Germanii* vulgò *Krahngerechtigkeit* in eo, quod hujus beneficio utilitati vectigalium

H 3

pro-

provideatur, & fraudibus mercatorum occurratur: Illud
 (stapulæ sc.) principaliter commerciorum utilitatem &
 incrementum respiciat, & ad copiam annonæ & mercium
 faciat. 2. A jure *Nundinarum*, illæ enim multis, imò ferè
 omnibus civitatibus sunt communes, jus stapulæ verò
 nullis, nisi quibus id specialiter concessum aut suprâ di-
 ctis modis obvenit, competit. *Klock. de Contribut. c. 1.*
Perez. de Jur. publ. p. m. 315. Coronidis locò hic ob-
 servandum: 1. Privilegium de certis mercibus non præ-
 tervehendis ad alias merces minimè esse extendendum,
 quod hoc jus libertatem navigiorum & commerciorum
 jure gentium fundatam coarctans quodammodo videat-
 ur odiosum, ideoque restringendum *c. 15. de R. I. in 6.*
 2. Pro ejusmodi mercibus vigore hujus privilegii *der Staf-
 felgerechtigkeit* certo in loco deponendis justum in emendo
 & vendendo peti & solvi debere pretium, neque nimium
 exigi portorium, rationemque justitiæ correctivæ quæ in
 commerciis & contractibus servat æqualitatem in omni-
 bus hic attendendam, vid. *Grot. de I. B. & P. l. 1. c. 1.*
§. 8. 3. Huic juri stapulæ adstrictis non esse integrum
 ad evitandam hanc expositionem novas & illicitas vias
 aut alias elusiones quærere, non enim per indirectum est
 concedendum quod directò prohibitum, & si prohibi-
 tum quid reperitur ex aliquâ ratione, tunc censentur et-
 iam prohibita omnia illa, per quæ potest sequi effectus il-
 lorum prohibitorum *Besold. in thes. pract. voc. Staffelge-
 rechtigkeit.* 4. Denique notatu dignum est, jus stapulæ Ci-
 vitati alicui concessum non utendo per decennium non
 amitti, quamvis enim privilegia lapsu decennii regulari-
 ter omittantur, uti de jure *Nundinarum* in *l. 1. ff. de Nund.*
 disertè dispositum reperitur, non tamen illud in iis obti-
 net

net privilegiis, quæ alimentorum intuitu concessa sunt, etiam si quis iis vel centum annos usus non sit, *arg. l. 22. C. de agric. & cens. Zepp. sæpe d. tract.*

XII.

Haftenus satis superque dictum esse arbitramur, quænam navim & navigationem constituent, & in quibus iuribus utraque consistat: Videamus jam etiam ipsa impedimenta & contraria. Sanè cum navis ad hoc parata sit ut naviget *l. 12. §. 1. ff. de usufr.* nihil magis ei contrariatur quam: 1. *Navigationis impeditio*, quæ fit partim flumen immixtis deterius reddendo, contra quod edictum *t. t. ff. de flum.* partim immutando & in alium locum traducendo, contra quod edictum *t. t. ff. Si quid in flum.* partim etiam vim ipsis navigantibus inferendo, contra quod edictum *t. t. ff. ut in flum. publ.*

CONTRARIA.

1. Impeditio Navigationis.

XIII.

Cum supra navigationis finem in falvis & in columibus ad locum destinatum transvectis consistere asseruerimus, quid porro navi & navigationi magis ad versari poterit quam si 2. *Nautæ in tempestate levadæ navis causâ* merces aliasve res ejicere coguntur, idque sæpissimè propter navigationis periculû & incertitudinem fieri testis est quotidiana experientia. Verùm quoniam hac ratione utilissima illa navigatio mox funditus periisset, saluberrima illa *L. Rhodia de Iactu*, à Rhodis ob navigandi peritiam celebratis constituta, est introducta, observataq; propter summam æquitatem ab omnibus navigantibus usurpari deinceps pro lege maris cœpit *l. pen. ff. de L. Rhod.* Et Rhodias leges navalium commerciorum esse ab insula

2. Iactus in mare.

ab insula Rhodo cognominatas in qua antiquitus mercatorum usus fuit apertè constat ex *cult. dist. 12.* Similes leges Nauticæ etiam in oceano Septentrionali in Gothlandiæ insulæ urbe antiquissima *Uvisbea* (*Waeterrecht* vocant & *Wisbyschschiffrecht.*) communi mercatorum & nautarum consensu conditæ sunt. Unde liber cujus titulus linguâ Saxonica *Waeterrecht dat die Kooplude und Schippers gemacht hebben tho Wisby:* Quod jus deinde Lubecam translatum, utpote Hanseaticarum primam, cujus statuta præ cæteris olim in pretio habita, in quæ Commentarii exstant Viri Celeberrimi *Davidis Mævii* & *Iohannis Sibrandi:* Hinc plurimæ postea Civitates maritimæ jure Lubecensi usi sunt, de quo vid. *Gothofr. de imp. mar. c. 8.* Sunt & statuta nautica *Svedorum* & *Belgarum* hodiè præprimis usitata. *Habr. T. de L. Rhod. n. ult. in fin.* Sed revertendum ad L. Rhod. quâ quàm saluberrimè cavetur, ut si levandæ navis gratiâ jactus mercium factus sit omnium contributione resarciatur quod pro omnibus datum est *l. 1. ff. de L. Rhod.* & hoc æquissimum est, cùm meritò commune detrimentum fieri debeat eorum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt ut merces suas salvas haberent *l. 2. pr. ff. d. t.* Hæc contributio de quâ in modò *alleg. 1.* mentio fit nobis dicitur *Haveren* testantibus *Stat. Hanseat. de jur. mar art. 1. 7. & Hamburg. P. 2. t. 16. art. 4. & 7.* Fitq; erga eos quorum merces alienarum conservandarum causâ ejectæ sunt *d. l. 1. & 2.* ab omnibus iis, qui per ejectas aliorum res suas salvas servarunt *d. l. 1. & 2.* cùm quibus conveniunt *Stat. Hamb. P. 2. t. 16. art. 2* neque quidquam hîc facit in contrarium *l. 14. ff. de P. V.* ibi enim dicitur quidem quod nulla detur actio in factum

Etum, quod intelligendum respectu domini mercium, & si justa causa fuit ejiciendi, tempestas sc: non tamen negatur instituendam esse contributionem, si justa causa fuerit projiciendi, adversus illos, qui res suas salvas retinuerunt, etenim ejusmodi projiciens tenetur Magistro navis ex *L. Rhod. ad contributionem d. l. 2. Habm h. t. n. 1.* in summa igitur omnes, quorum quid interfuisset servatarum mercium causam jacturam fieri, conferre oportere placet interpretationi *L. Rhod. d. l. 2. §. 2. Wes. h. t. n. 2.* Imò & ipse dominus navis pro portione, quod navim salvam habeat, obligatus est, *ibid.* nam & è contrario, si quid ipse navis levandæ causam objiciat, ut trabem &c. contributio locum habet *l. 5. §. 1. ff. de L. Rhod.*

XIV.

Veniunt in hanc contributionem omnes res vectibiles *arg. l. 2. §. 2. ibi: omnium ff. de L. Rhod.* imò tales etiam merces, quibus navis non oneratur, uti gemmæ, margaritæ *d. §. 2.* consentiunt *Stat. Hamb. P. 2. t. 16. art. 3.* vestimentorum quoque & annulorum hic fit æstimatio *d. §.* Neque solum hic veniunt res amissæ, sed & deteriores factæ, modò id contingat per ipsum jactum *l. 4. §. 2. ff. de L. Rhod. Stat. Hamb. P. 2. t. 16. artic. 4.* sicut enim ei qui perdidit subvenitur, ita & ei subveniri oportet, qui deteriores propter jactum res habere cœpit *l. 4. in fin. ff. d. t.* aliter se res habet, si vel ante, vel post jactum res deterior facta sit. *Stat. Hamb. d. art. 4.* Excipiuntur tamen à contributione ea, quæ consumendi causam imposita sunt, quo innumero sunt cibaria: nec enim hæc unius, sed omnium gratia imponi videntur, eò magis, quod, si quando ea defecerint, quod quisque haberet

I

in com-

in commune conferret *d. §. 2. in fin.* Excipitur etiam liber homo, cujus nulla æstimatio fieri potest *l. fin ff. qui effud. vel de j.*

XV.

Processus contribuendarum rerum ejectarum nomine instituendus describitur in sæpe alleg. *l. 2. pr. ff. de L. Rhod.* ita ut amissarum mercium domini, si merces vehendas locaverint, ex locato cum Magistro navis agere debeant, isque deinde, cum reliquis, quorum merces salvæ sunt, ex conducto ut detrimentum pro portione communicetur, agere possit. Porro in hac Contributione æstimantur res amissæ quanti emptæ sunt, non quanti vænire potuerunt, non enim loci; sed detrimenti habetur ratio, neque lucri; sed detrimenti fit præstatio: Res salvæ verò quanti vænire possunt, æstimantur *l. 2. §. 4. ff. d. L. Rhod.* & res ipso jactu deteriores factæ, æstimantur quanti nunc sunt, non quanti ante deteriorationem fuerint. *Stat. Hamb. d. art. 4. in fin.* damnum enim, uti fieri potest minuendum lucrum propagandum, & ita utrisque consulitur, & iis qui jacturam fecerunt, & iis qui res suas salvas habent *Gothofr. ad d. §.* Et hæc contributio, rerumque æstimatio tum demum locum invenit, cum servandæ navis causâ jactum est *l. 4. in pr. & §. 1. ff. d. t. & l. 5. eod.* Secus enim est, si ante jactum vel in ipso jactu naufragium fiat, namque & hoc, quod quisque sibi servare potest, tanquam ex incendio servat. *l. 7. l. 5. l. 4. ff. d. t.* quocirca, etiam si jactu navis levata, postea tamen tempestate pereat, nihil contribuendum est, nisi merces perditæ extrahantur *d. l. 4. §. 1.* Contributio enim iniri nisi salvis mercibus non potest, quibus perditis, perinde ab obligatione jactus liberan-

berantur vectores, atque debitores interitu speciei l. 23.
ff. d. V. O. Nulla quoque facienda est collatio, si conser-
 vatis mercibus deterior facta sit navis, aut si v. g. arma-
 menta, arborem, antennam perdiderit, cum hic sumptus,
 instruendæ magis navis, quàm conservandarum mercium
 causâ fiat l. 2. §. 1. *ff. ad L. Rhod. l. 6. in fin. ff. eod.*

XVI.

Ultimò hic non est prætereunda nobilis illa huc spe-
 ctans quæstio: *Utrum res iactæ domini maneant, an verò
 fiant apprehendens?* Sanè si inspiciamus summum istum
 Philosophorum Aristotelem, res non caret omni distin-
 ctione, cum enim ille hanc actionem inter mixtas. h. e.
 partim ex invito, partim spontaneo provenientes recen-
 seat *Ethic. 3. c. 1.* non ignorandum, eam esse minimè vo-
 luntariam ratione principii externi cogentis & facientis,
 ut quis malit amittere bona quàm vitam, & extra pericu-
 lum constitutus, nemo merces jactaret: Attamen etiam
 est voluntaria actio ratione principii proximi interni,
 quo quis vult perire merces, ut vita maneat salva, quod
 se consecuturum sperat levatâ nave. Quatenus igitur
 actio hæc habetur pro voluntaria, possunt quadantenus
 res jactatæ videri pro derelictis habitæ: Sed quia accedit
 illud principium externum, non potest hætenus censi
 res habitæ pro derelicto, ut possit acquiri inventori. Ete-
 nim procul dubio hæc fuit mens projicientis, ut in even-
 tum, quo salvæ manerent, sibi integra rerum persecutio,
 imò integrum dominium maneret, quamvis sanè rursus,
 si opinionè projiciētis, eo ipso tempore quo projecit eas
 in profundû mare, cõsideremus, vix de eo cogitasse vide-
 ri possit, aut sperasse eas sibi salvas futuras. Et hanc distin-

Etionem etiam in Jure nostro Civili locum habere patet tum ex eo, quod in *§. fin. I. de R. D.* res jactæ domino permanere dicantur, nec fieri apprehendentis *l. 2. §. fin. ff. de L. Rhod.* ratio redditur in *l. 8. ff. eod.* ad stipulantur *Stat. Hamb. P. 2. t. 17. art. 4.* Unde si ejusmodi res apparuerint, restituendæ sunt domino nec collatio exoneranda *d. l. 2. §. pen.* tunc etiam quod in *l. 43. §. pen. ff. de furt.* expressà distinctione casus ibi propositus decidatur, utrum dereliquentis animò projecerit, nec ne, qua distinctione hanc multis visam antimoniam conciliant *Gothofr. ad d. l. & Bachov. ad Inst. de R. D. §. ult.* ideoque frustra laborare videtur *Dn. Ludwel*, hos textus longè petitâ distinctione ab omni contrarietate liberaturus.

XVII.

3. *Naufragium,*

Jactum nonnunquam subsequi solet 3. *Naufragium:* Quandoque enim, etiam si navis in tempestate jacta mercium unius mercatoris levata sit, alio in loco nihilominus submergitur *l. 4. §. 1. ff. de L. Rhod.* De hoc naufragii casu variis modis jura disposuere: Et cum tanta sit hominum malitia, ut aliquândò summa ista naufragii calamitate, non modò non moveantur, sed etiam res ex naufragio in mare veletiam littus delapsas *l. 1. in fin. ff. de incend. ruin.* quàm pessimè rapiant & auferant: Horum iniquissimæ avaritiæ modum ponit Prætor in *l. 1. pr. ff. d. t. & Impp. in l. 19. C. de furt.* in ejusmodi raptorem, harum rerum nomine in quadruplum in anno, post annum in simplex judicium dans, ad exemplum ipsius rapinæ *pr. ff. de vibon. rapt.* Severius videtur esse Sctum illud Claudianis temporibus factum, quo, si quis ex naufragio clavos vel

vel unum ex his abstulerit, omnium rerum nomine tene-
 tur *l. 3. §. fin. ff. de incend. ruin.* Neque sanè tum Edicti-
 tum S^Cti ulla est iniquitas, potius summa æquitas, utili-
 litas evidens, & justissima severitas, siquidem publicè in-
 terest nihil ex hujusmodi casu rapi *l. 1. pr. ff. d. t.* Et cùm
 unicuique liceat naufragium suum iupunè colligere *l. fin.
 ff. eod.* meritò, qui res ex naufragio jactas vel furantur
 vel rapiunt utraque actione vel vi bon. rapt. vel furti pro
 ratione delicti tenentur *l. 5. ff. d. t.* Quæ actiones hære-
 dibus quidem dantur, in hæredes verò eatenus, quate-
 nus ad eos pervenit *l. 4. in fin. ff. eod.* Non solum autem
 hi, sed & illi, quorum fraude & consilio naufragi per vim
 suppressi sunt, ne navi vel iis periclitantibus opitulentur,
 tenentur, imò *L. Corn. de sic. pœna afficiuntur. l. 3. in fin.
 ff. eod. l. 3. §. 4. ff. de L. Corn. de sic.* quæ tamen, ut nimis
 dura, postea in quadruplum mutata est ab Imp. Leon.
Nov. 64. Illud hic monere non superfedebimus, in qui-
 busdam locis, ut in Ost-Frisia, Holsatia, Sicilia, Anglia,
 Italia, &c. consuetudines vel statuta esse, ibique hoc inter
 Regalia referri, *Hahn. ad t. de L. Rhod. n. 5. Gail. 1. Obs.
 18.* quod factò naufragiò, bona, quæ erant in navi, cadant
 in commissum, & ad dominum loci, cujus est flumen, per-
 tineant: Quæ consuetudo tamen planè est irrationabi-
 lis, ideoque non valet *c. 3. dist. 8.* malè enim ad inventa,
 malæque consuetudines, neque ex longo tempore, neque
 longa consuetudine, confirmantur *Nov. 134. c. 1. ad del. 39.
 ff. de LL.* quid autem rationi magis est contrarium, quàm
 calamitati addere calamitatē, afflictioni afflictionē? quod
 fieri nō debet per *text. in l. 14. ff. de off. Prasid. l. 28. C. de
 Episc. aud. c. 4. §. fin. X. de judic.* nisi forsan afflictio ve-
 niret ex culpa afflicti, puta propter ejus delictum *l. 28. §.*

3. ff. de pœn. Hinc fit, ut ejusmodi mala consuetudo nullo jure scripto admittatur, imò expressè prohibeatur in *Auth. Navigia C. de furt. & l. 1. C. de navi frag.* ubi dicitur, quod Fiscus nihil sibi vindicare debet in calamitate alterius, nec ex re tam luctuosa compendium sectari. Pertinet huc, quod actio depositi (uti vocant) miserabilis naufragii causa, contra contentem in simplum detur, inficiatione verò duplicetur §. 26. *f. de Act.* Jure quoque Canonico ipso facto sunt excōmunicati, qui naufragium passos spoliant *c. 3. X. de raptor.* Quin & Imp. Rom. Germ. hodie ejusmodi consuetudines, ut omni jure destitutas sublatasq; à Carolo V. in *Cōstit. Crim. art. 218.* rejiciunt *Gail. 1. obs. 18. n. 6.* meminit, contra hujusmodi consuetudines in Camera ex d. Constitutione Friderici vel *Auth. Navigia C. de furt. & d. Const. Crim. art. 218.* mandata sine clausula decreta, & in causa Consulium Civitatis Hamburgensis contra Duces Holsatiæ judicatum fuisse. Cum quibus omnibus optimè consentiunt *Stat. Hamb. P. 2. t. 17. art. 4.*

XVIII.

Pertinent huc nobiles illæ Quæstiones : 1. *Si merces naufragio perierint, cujus sit periculum?* Dicendum periculum pro diverso respectu & varietate casuum aliquando ad ipsum Magistrum navis, aliquando ad mittentes merces, nonnunquam etiam ad eum, cui mittuntur merces, spectare : Ad Magistrum navis periculum spectat, si vel ejus dolo, vel imperitiâ naufragiū factum fuerit, tum, vel ideo, quod nemini malitia sua debeat esse lucrosa *l. 1. pr. ff. de dol. mal.* foret autem lucrosa, si ex suo delicto non sentiret damnum, & nihilominus mercedem pro vectis
merci-

mercibus acciperet: tum etiam, quod imperitia culpæ & quidem latae annumeretur §. 6. *J. de L. Aquil. l. 132. ff. de R. J.* quam in Civilibus dolo æquiparari constat ex *l. 7. ff. ad L. Corn. de sic. l. pen. ff. de incend.* quamvis tamen tum demum imperitia culposa sit, si quis, tanquam satis validus se rei alicui immiscuerit, cum affectare quisque non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet imperitiam suam aliis periculosam futuram *l. 8. §. 1. ff. ad L. Aquil.* facit igitur imperitia in artifice tantum delictum, cum alias omnium habere memoriam & in nullo penitus errare divinitatis magis, quã mortalitatis sit *l. 2. §. 14. C. de Vet. jur. enul.* Hac de re exstat iudicium nauticum apud *Tholos. syntagm. jur. l. 29. c. 10. n. ult.* ut, si Magister navis imperitia in agenda navi erret, & ea ratione deterior fiat, mercatoribus inde damno affectis teneatur damnum refarcire, si solvendo sit: si autem non sit, capite plecti debeat, si prius constiterit, eum non esse solvendo: Econtrario, si Magister navis debitam adhibuit diligentiam, neque naviculariæ imperitus fuit, periculum redundat vel ad mittentem, vel ad eum, cui mittuntur mercès: Ad illum pertinet, si adhuc dominus mercium fuit, quippè, quod casus fortuiti, cuiusmodi est naufragium citra dolum aut culpam Magistri contingens, spectant ad ipsos rerum dominos *l. 6. C. de pign. act.* nisi tertii cuiusdam culpa naufragii casus intervenerit arg. §. 2. *I. quib. mod. re contra.* tenetur etiam, si suo periculo auf seine gefahr und Reichtho miserit *per jura vulgata*: quod hodiè in magnis Emporiis valde frequentatur, ut, quis simul sit venditor & Assëcurator: Videtur etiam teneri, si vel sine mandato, vel contra mandatum h. e. non eo modo, tempore, perque ea loca, apud eas personas, terrâ
aut

aut mari, quomodo alter mitti voluit, miserit, tunc enim fines mandati excessit §. 8. *f. de Mand.* Ad hūc verò, eum scilicet, cui merces mittuntur, periculum spectat, si emptor fuerit: periculum enim rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit §. 3. *f. de Empt.* nisi custodiam usque ad traditionem venditor susceperit *d. §. 3.* neque enim his ullo modo obstat, quod in *h. §. 3. circ. fin.* venditor, qui nondum rem emptori tradidit, adhuc ipse dicatur esse dominus, ad quod cum *Bachov. Comm. ad Inst. t. de empt. & vend. d. §. 3.* respondemus, cum emptor perfecta emptione statim auferre & avocare rem possit, ideoque, si interim perierit, eam quasi moram emptori nocere debere, & *reg. illam l. 6. C. de pign. act.* quod domino res pereat, ad eos pertinere, à quibus res per remedia juris avocari non possit: tum etiam dominium opponi his, qui nudam custodiam, aut usum rei habent, quod secus est in emptore, cui res perit, ut creditori, & venditor, non tanquam dominus, sed tanquam debitor interitu rei liberatur, quomodo ita, si res promissa pereat, debitor liberatur *l. 23. & passim ff. d. V. O.* Deinde etiam merces recipiens obligatur ad sustinendum periculum, si expressè sibi eas mitti mandaverit, cum enim sit mandatum utriusque gratiâ contractum, præter cætera est obligatorium §. 2. *f. de Mand. l. 2. pr. & §. 4. ff. eod.* & nititur hoc ipsum æquitate quadam naturali, quoniam volenti non fit injuria. Hodiè Praxis inter mercatores in celebribus Emporiis degentes obtinet, ut hujusmodi periculum per compactata qs: inter se dividant, & hoc nomine majus sibi dari postulēt pretium daß sie den schaden und verlust halb stehen.

Subsequitur II. Quæstio: *Si navis alteri navi noceat, quænam & cujus nomine competat actio?* Juri Naturali non esse inconueniens, ut qui damnum dedit, damnum resarciat, ipsa dicitur ratio, & hoc jus quoque Civile approbare videtur, quando mancipium aut animal, quod damnum aut pauperiem fecit, noxæ dedit expressè præcipit *l. 1. ff. & §. 1. I. de noxal. act. l. 1. pr. ff. & pr. I. si quadrup. paup. fec.* nam dominus qui in culpa non est, naturâ ad nihil tenetur *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 16. §. 21.* Ita etiam is, cujus navis sine ipsius culpâ navi alterius damnû dedit extra omnem videtur esse culpam *Grot. d. l.* Veruntamen cum persæpe fiat, ut vel culpâ nautarum, vel vi ventorum, aut aliis modis una navis alteri officiat, jura nostra Civilia de his diversimodè disposuere: Quod si enim navis tua impacta in meam scapham damnum mihi dedit, illudque ne accideret in nautarum potestate fuit, *L. Aquil. cum nautis agendum*, quia parvi refert, navim immittendo, aut servaculû ad navim ducendo, an tua manu damnû dederis, omnibus enim his modis per te dâno afficior *l. 29. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Secus est, si fune rupto, aut cum à nullo regeretur navis incurrisset *d. §. 2. ibique Gothofred. l. c. Anton. Fab. conject. 17. Cujac. 25. Obs. 9.* Item, cum vi ventorum navis impulsâ esset in funes anchorarum alterius, & nautæ funes præcidissent, si nullo alio modo nisi præcisis funibus explicare se potuit, nulla actio danda est, quod & circa retia piscatorum in quæ navis piscatorum incidere existimaverunt *Labeo & Proculus*; Planè si culpâ nautarum id factum esset *L. Aquil. agendum d. l. 29. §. 3.* Porrò si navis alteram contra se venientem obruisset, aut in gubernatorem aut in ducto-

K

rem

rem actio competit damni injuriæ, si autem tanta vis na-
vi facta sit, quæ temperari non potuit, nulla danda est ac-
tio, sin autem culpâ nautarum id factum sit, Aquiliæ
sufficit. *d. l. 39 §. 4.* Denique si funem quis quo religa-
ta navis erat, præciderat, de nave quæ periit in factum a-
gendum *ead. l. §. 5.* Modernâ consuetudine & multo-
rum populorum imprimis Belgarum legibus, damnum
tale dividi solet ob culpæ probandæ difficultatem *Grot.
de I. B. & P. l. 2. c. 16. §. 21.* à quibus non videntur re-
cedere *Stat. Hamb. P. 2. t. 17. art. 6. 7. & 8.*

XX.

4. Deprada-
tio & Ca-
ptio Pira-
tarum.

Nihil peregrinantibus ipsâ securitate ab incurfu ho-
stium esse exoptabilius vel omnibus, qui iter quodammo-
dò fecerunt, constare arbitramur: Hostes autem propriè
habentur, quos offendere & perdere omnino licet *l. 24.
ff. de Capt. & postl.* Quorum alii deterioris alii melioris
conditionis; deterioris conditionis sunt, quibus jura
belli non conveniunt, quales sunt Perduelles & Prædo-
nes, illos hac vice missos facientes, definimus prædones,
qui absque autoritate publica hostiliter grassantur, ve-
luti in terrâ latrones, in mari piratæ, qui sibi invicem op-
ponuntur in *l. 19. §. 1. ff. de capt. & postlim.* neque enim
minus in mari, quàm in villa per latrunculos inquietari
vel infestari nos posse testatur *Ulp. in l. 3. §. 2. ff. de in-
cend.* Relictis latronibus à proposita materia alienis,
prævertendum, nos hic agere de piraticâ illâ illicita, quæ
pravitas in *Auth. Navigia C. de furt.* appellatur, non de
veteri illa & quondam permissa, de qua *Class. 1. 0. 7* di-
ximus, acturos. IV. igitur *Deprædatio & Captio Pi-
ratarum* non minùs creat obstaculi ipsis navigantibus,
atque

atq; despoliatio latronum terrâ iter facientibus, qui cum reapse inter se conveniant, non dubium, quin eadem pœnâ, quâ raptores, sint afficiendi *t. t. ff. J. & C. de vi bon. rapt. t. t. ff. de incend. Constit. Crim. art. 126.* Obiter hic monendum, secundum hodierna tempora duo esse genera piratarum: Unum eatenus impune, quatenus habet consensum Magistratus superioris vulgò die *Caapers*: Alterum simpliciter pœnæ obnoxium vulgò die *Seerauber* / *Galiot*. Huc respicit *art. 1. P. 2. t. 19. Stat. Hamb.* Deinde cum *Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 1. §. 4.* asserere non abnuimus, navem piratis plenam tormentis peti posse, etiam si in eadem navi sint pauci infantes, mulieres, aut alioqui innocentes, quibus inde creetur periculum, quippe quod ad jus agendi nostrum multa consequi indirectè & extra agentis propositum possumus, ad quæ per se jus non esset, sic ut nostrum consequamur, si tantundem accipi non potest, plus accipere nobis jus est, sub obligatione tamen restituendi pretium ejus quod redundat. Cum etiam, quod in *§. 17. J. de R. D. & passim* dicitur, capta ab hostibus statim capentium fieri, cum conditione aliqua continuandæ sc: eousque possessionis debeat intelligi, huic consequens esse videtur, ut in mari naves censeantur tum demum captæ, cum in navalia aut portus, aut ad eum locum, ubi tota classis se tenet, perductæ sunt, nam tunc desperari incipit recuperatio: sed recentiori jure Gentium inter Europæos populos introductum, ut ejusmodi naves captæ censeantur, ubi per horas 24. in potestate hostium fuerunt, testatur *Grot. de I. B. & P. l. 3. c. 6. §. 3.* & tum eas postliminio non redire multis in locis cõstitutum esse affirmat *idem l. 3. c. 9. §. 15.* Neque illud in materia de Piratis omittendum, eorum res unicuique

K 2

occa-

occupare & deprædari licere, uti notant *Bald. & Salicet. in Auth. Navig. C. de furt.* nam hostibus piratæ non solum comparantur, sed & revera sunt, ipsoque jure sunt diffidati *Strach. tr. de Navib. P. 2. n. 16.* Et navem, quæ hostium vel piratarum timore portui alicui se applicuit vectigal seu portorium non debere, statuunt *Dd. ad l. fin. §. 8. ff. de Publican. vid. Strach. d. l. n. 26.*

XXI.

s. Repræs-
salia.

Quemadmodum deprædatione piratarum navigantes sæpissimè ad extremam rediguntur paupertatem: Ita V. denique per *Repræssalias*, Oppignorationes & Arresta navibus & rebus imposita, quibus ab instituto cursu retardantur, non minimo damno afficiuntur. Sunt autem *Repræssalia* nihil aliud, quàm quædam pignoratio, qua inter diversos Principes vel Populos ob Justitiam denegatam res auctoritate publicâ capiendi privatis jus conceditur *c. un. de injur. in 6.* Hæ sunt quæ alio nomine *Clarigationes*. *Perez. de Jur. Publ. p. m. 259. Gail. de Pign. Obs. 2. n. ult.* apud Saxones & Anglos *Withernamium*, apud Gallos *Literæ Marcæ* *Grot. de I. B. & P. l. 3. c. 2. §. 4.* appellari solent. Dantur verò, ut in definitione dictum, ob justitiam denegatam, quæ talis habetur non solum, si in fontem vel debitorem intra tempus idoneum judicium obtineri nequeat, verùm etiam si in re minimè dubia planè contra jus judicatum sit, cum auctoritas judicantis non idem in externos quod in subditos valeat: Subesse ergo debet justa causa eaque gravis, nam ob levem aliquam injuriam aut direptionem non est adhibendum remedium extraordinarium. Unde inter incolas ejusdem regni, qui Judicem habent ordinariũ, coram quo de data
inju-

injuria conqueri possunt, non permittuntur repræfaliæ, sed adversus externos *Perez. de Jur. publ. p. m. 259.* Usus repræfaliarum non à novitiâ consuetudine, sed à vetustissimis Romanorum Legibus radicem sumpsisse existimat *Zaf. ad l. 2. §. 2. ff. de O. I.* Et dicta hæc procedunt ex præmissâ illâ hypothese, si nimirum Repræfaliæ *Jure Divino, Naturali, Gentium & Civili* valeant: Quorum neutrum simpliciter affirmare per ea, quæ modò subjungemus, non abnuimus.

XXII.

Jure Divino quomodo Repræfaliæ tanquam injustæ ^{1. Jure Divino.} quædam oppignorationes suum possint obtinere robur non reperimus: Certum quidem est contra illam gentem, quæ nobis negligit facere justitiam, bella geri posse, S. Codice id permittente & testante *Augustin. in lib. quæst.* an autem inde sequatur, subditos illius Domini, qui justitiam facere neglexit, capi, eorumque bona auferri posse, nemo qui sanæ mentis nec sibi nec nobis unquam persuadebit, cum non minus, atque hoc, absurdum videatur, si quis propter delictum ab uno commissum, omnes ejus cognatos vel conterraneos poenæ & supplicio subjicere vellet. Sane Deus Autor Justitiæ imò ipsa Justitia nunquam in fontem puniri voluit, sed anima, quæ peccaverit, ipsa morietur *Ezech. 18. vers. 4.* Et licet aliquando propter enormia peccata Principis omnes subditi extremæ calamitati fuerint expositi, neque tamen hos, qui juxta vulgatum, *qualis Rex, talis grex*, ab omni peccato immunes fuisse ex æquissimo Dei Judicio firmiter concludendum: Et notabile, quod ipsemet Jehova *Exod. 20. v. 5.* quidem minatur *se visitaturum iniquitatem Patrum*

in filios in tertiam & quartam generationem, sed subjiciunt, in illos qui oderint me ex quibus satis constat, liberos Deo servientes parentum infidelium peccatis non fieri obnoxios. Hinc non parum mirari coepimus, ab iis, qui Repræsalias Jure divino licitas asserunt pro testimonio quasi adduci textum in *caus. 23. q. 2. c. 2.* ex quo nescimus quomodo elicere velint repræsalias inter justa ibi recensita bella esse numerandas, mera enim hæc est conjectura, & quidem divinatória, loquiturque hic textus non de bellis minus solennibus, cujusmodi sunt Repræsaliæ, sed publicis & solennibus, uti satis ex textu penitus introspecto patebit: Facit contra Canonistas ut plurimum, quod ipse *Gregorius X.* Repræsalias tanquam graves legibus, & æquitati naturali contrarias, ideoque civili Constitutione prohibitas, in personis Ecclesiasticis timendas præcepit. *c. un. de injur. in 6.*

XXIII.

2. Jure Naturali.

Mero Naturæ jure ex facto alieno nemo tenetur, nisi qui bonorum successor est, ut enim cum oneribus bona transferint, simul cum dominiis rerum introductum est *l. 16. ff. de R. I.* ita tamen ut hæres ex dolo defuncti in delictis commisso tantum teneatur in id quod ad eum pervenit *l. 9. §. ult. in fin. ff. de tribut. act.* excepto hærede furis, qui conditione furtivâ conventus solidum præstare tenetur *l. 9. ff. de Cond. furt.* E contrario dolus qui defuncto ex contractu imputari potest, hæredem in solidum obligat *l. 157. in fin. ff. de R. I.* si modò ad eum aliquid pervenerit, nam si nihil nullo modo obligatur per textum expressum in *§. 1. I. de perpet. & temp. act.* quidquid etiam in contrarium probare annituntur Dd. ex *l. 7.*

l. 7. §. 1. ff. depos. l. 152. & d. l. 157. ff. de R. I. ibique Bronchorst. Comm. ad l. 45. l. 12. l. 49. ff. de V. O. l. ult. ff. de fidej. & nom. tut. qui textus pro hac sententia ne minimum quidē faciunt, quā etiam ratione *Bachov. Comm. ad d. §. 1.* hanc cum *alleg. textt.* conciliare frustra allaboret. Quando ergo dicitur, qui hæres fit tam activum quàm passivū fieri, quod ad contractus de eo casu, quo aliquid ex dolo ad eum pervenit exaudiendum. Ex hisce juris Naturæ principiis satis superq; patere arbitramur, repræfalias, quæ non nisi propter factum tertii exercentur, ipsi Juri naturali unumquemque sui delicti debere luerē pœnam præcipienti, è diametro esse contrarias.

XXIV.

Ex his sponte sequitur, cū Jus Gentium illud sit, quod naturalis ratio inter homines constituit §. 1. *I. de I. N. G. & C.* & quo gentes humanæ utuntur *l. 1. §. fin. ff. de I. & I.* in Repræfaliis autē nihil sibi loci invenire naturalē rationē modò demonstraverimus, illas ab hoc jure nō minus atq; à suprā recensitis esse alienissimas: Neq; ullo modo contrariatur quod *Vir Summus Grot. de I. B. & P. l. 3. c. 2 §. 2.* hoc jure gentium voluntario induci potuisse & inductum apparere dicat, ut pro eo, quod debet præstare civilis aliqua societas aut ejus caput, sive per se primò. sive quod alieno debito jus non reddendo se quoque obstrinxerit, pro eo teneatur & obligentur bona omnia, corporalia & incorporalia eorum, qui tali societati aut capiti sub sunt, siquidem illo jure gentium non verum quod in naturali consistit ratione; sed potius consuetudines & mores intelligere videtur, quomodo etiam Repræfalias non quidem naturā introductas, sed moribus passim receptas ipsemet fatetur *d. l. & c. §. 5.*

3. Jure
Gentium.

XXV.

4. Iure
Civili.

Hiscæ motus rationibus Imp. Zeno æquitati naturali contrarium dixit, ut pro alienis debitis alii molestentur in *l. un. C. ut null. ex vicin.* Hinc tituli in jure nostro Civili *C. ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore C. & imprimis Auth. habitâ ne filius pro patre.* Nec quod Universitas debet singuli debent, ut disertè loquitur *Ulp. in l. 7. §. 1. ff. quod cujus univers.* nimirum, si Universitas bona habeat, alioqui enim tenentur non singuli; sed quæ pars sunt universorum *Grot. de I. B. & P. l. 3. c. 2. §. 1.* Hinc etiam speciatim Jure Romano constitutum, ut nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorum debitis teneatur *d. l. un.* Et in *Nov. 52. c. 1* junctâ *Nov. 134. c. 7.* vetantur pignorationes pro aliis addita causâ, quod rationem non habeat, alium quidem esse debitorem, alium verò exigere, ubi & hujusmodi exactiones odiosæ vocantur. Hæc nos movent ut cum *Gail. de Pignorat. Obs. 2. n. 2.* statuamus, Repræfalias regulariter non valere, neque habere locum, nisi in specialibus casibus nuncupatim à regulâ prohibitâ exceptis, nemo enim alterius odiò prægavari debet, quippe quod omnia arresta ipso jure nulla sunt *l. un. C. de prob. sequestr. & Nov. 52.* qui igitur allegat Repræfalias esse licitas, casum exceptum probare debet, alias statuit regulæ prohibitivæ, quia, qui regulam pro se habet, jus firmum habere dicitur, donec exceptio probeatur *l. 5. ff. de probat.*

XXVI.

5. Iure Com
mune &
Imperij.

Accedit his deniq; *Jus Commune & Imperij*, quo Repræfaliæ & arresta ut cōmerciorum & navigationis usum deteriorem reddentia penitus tolluntur. *Instrum. Pac. Cas.*

Cæs. Svec. art. 9. §. 1. & Cæs. Gall. §. 67. Osnab. & Monast. de Anno. 1648. Et quicquid præterea sit de jure communi moribusque hodiernis, Impp. tamen non consuevisse concedere repræssalias ob denegatam Justitiam, vel aliam etiam ob causam, etsi hoc sæpe petatum fuerit, se meminisse ait *Gail. de Pignorat. Obs. 2. n. 3.* idque eo fine, quoniam in concedendis repræssaliis pugna quodammodo offertur, unde bellum sequitur, & licet illud justum esse multi velint *caus. 23. q. 2. c. 2.* quod supra satis refutavimus, quantumvis tamen justum fuerit, infinita secum trahit incommoda, & latrociniis atque publicis scandalis viam aperit, quibus summus Princeps ansam præbere non debet *l. 3. pr. ff. de off. Præs. Viz.* Sed quid multa? Surdis hinc narrare fabulam videmur, prava enim illa Repræssaliarum consuetudo in tantum erupit, ut, cum principiis nemo obstiterit, ipsa, quam dudum egit, radix, difficillimè evellenda jam fuerit, ita ut cū *Perez. de Jur. publ. p. m. 260.* meritò concludamus bonis Legibus malos mores hodiernum hac in causa prævalere: Interest enim rebus cunctis quidam velut orbis, ut quemadmodum temporis vices, ita morum vertantur, retineanturque ex iis pejores. Hic ergò *sit modus in rebus sit certus denique.*

F I N I S.

C O R O L L A R I A.

I. **D**isputare de Principali judicio non oportet, sacrilegii enim instar est dubitare an is dignus sit, quem sibi elegerit Princeps.

L

2. Usure

2. *Usura etiam Jure divino licitæ sunt.*
3. *Palinodia cumulativè concurrenit cum actione injuriarum Civili & Criminali.*
4. *Contra Electores Crimen Læsæ Majestatis committitur, si modò committens sit subditus.*
5. *Feuda recens empta quamvis nobilia, plebejos non nobilitant, nisi, ut alibi, id consuetudo habeat, res enim hominibus accedunt non contrà.*
6. *Sub Jurisdictione in specie sic dicta etiam continetur imperium merum.*
7. *Oppidò falluntur, qui ex §. 9. Feud. de Pac. ten. colligunt Frideric. I. Imp. furto primum dictitasse pœnam capitalem.*

F I N I S.



ULB Halle 3
003 619 079





f

Sb.

VD 77







21

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

1661, 3

20.

De

NAVI & NAVI-
GATIONE,

10

Quam

DIVINA ANNUENTE GRATIA

Decreto, Authoritate & Permissu

Magnifici Amplissimiq; JCtorum Ordinis, in Perantiquâ
& Celeberrimâ Heidelbergensi Academiâ

His
p

MODERANTE

*VIRO Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo &
Consultissimo*

DN. JOH. FRIDERICO BÖCKELMANNO

JCto, & Antecessore Ordinario, p. t. Universitatis
Rectore Magnifico, Fautore & Patrono
nunquam non venerando

PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
ritè consequendis

Solenni & publico Literatorum subjicit examini

JOHANNES R X X H M & R Hamburgensis.

Ad diem V. Septembris horis locoq; solitis.

HEIDELBERGAE,

Typis ADRIANI WYNGAERDEN, Academiae
Typographi Anno MDCLXI.

